



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

**Habacvc Propheta**

**Habakuk**

**Argentorati, 1526**

**VD16 B 3952**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35974**

I K


1557


*Th. 137.*

*17*

*LB. 8.*









HABACVC

PROPHETA CVM  
ANNOTATIONI  
BVS MARTI.  
LVTHE.

\* \*

\*

*Iohanne Lonicero*  
Interprete.

1 5 2 6.

CLARISSIMO VIRO. D. TELAMONIO,  
Suffraganeo Episcopi Basileensis, suo in Domino obser-  
uando. Iohannes Loucerus gratiam & pacem.

Quoties, ex Matthia Lymphurgio, sanguine tibi iuncto, mihi  
uero, sancta amicitiae lege familiarissimo, audiui (audiui  
autem frequentissime) Euangelion gloriae & regni  
Dei in corde tuo, illuxisse, uehementer gauisus sum, optime Tella-  
moni, tum quod tanti etiam Heroes ad CHRISTI Domini nos-  
tri confessionem anhelent, tum quod tui exemplo, plerique alij ad  
Christum Episcopum suum peruenturi essent. Gratulor itaque di-  
uino instituto tuo, oroque ut quod spiritus Domini in te coepit, ad  
finem usque efficaciter perducatur. Proinde grandaeuus es, iam que  
uarijs uel ipsius aetatis nomine defatigaris languoribus. Animum  
ergo tuum iandiu CHRISTO desponsum, in concussum ser-  
ua. Scriptura te consolare, quae te ab omnibus tam Satanae, quam  
mundi insultibus tutum reddere potest. Quod ut constantius fa-  
cias, Endiuum Habacuc Prophetam, Lutheri Scholijs illustra-  
tum, meis uero qualibuscunq; uigilijs latinitate donatum, tibi de-  
dico, partim, ut tu non mediocriter inde oblecteris, partim, ut tuo  
patrocinio  $\alpha\upsilon\delta\iota\sigma\omega\tau$  i Zoilos respuat. Ipsa res  $\alpha\kappa\epsilon\sigma\tau\omega\varsigma$   $\nu\epsilon\gamma\lambda\alpha$   
 $\epsilon\lambda\iota\kappa\omega\upsilon$   $\Theta$   $\epsilon\gamma\gamma\alpha$ , quod aiunt, tantas Lutheri Lucubra-  
tiones, facillime declarat. Tu quae so uatem hunc  
benigne complectere. Vale. Ar-  
gentorati, 1526.

# HABACVC

PROPHETAE

iuxta Hebreum fontē,

CAPVT PRIMVM.



Nus quod uidit Ha  
bacuc Propheta.

Quousq; Domine  
clamabo & non au  
dies: uocaberabor  
ad te propter iniu  
riam & non salua

bis: Quare admittis ut cernā adflictio  
nem & laborem: rapinam & iniuri  
am ostendis circum me, & lis & cōten  
tio anticipant æquitatem. Propter  
ea uacillabit lex, neq; foelicem tandem  
succesum habebit iudicium. Quoni  
am impius imponit iusto, propterea  
egreditur iudicium peruersum. Vide  
te inter Gentes & contemplamini, &  
uicissim admiramini & obstupescite.  
Quoniā certe profecto faciam in die  
bus uestris, quod non credent, post

A 2 quart



quam illis narratum fuerit. Ecce enim  
 concitabo Chaldaeos gentem amaram  
 & celerem, pertranseuntem septa ter-  
 ra, ut occupet habitationes non suas.  
 Atrox & terribilis ipsa, ab ipsa iudici-  
 um eius & grauamen eius egreditur.  
 Equi eius uelociores sunt Pardis, agi-  
 lioresque lupis uespertinis, Equitum  
 eius ingens copia, qui & a longinquo  
 aduenient, imo aduolabunt instar A-  
 quilæ appetentis cibum. Omnino ad  
 iniuriã ueniet, præterea & a faciebus  
 eorum uentus uehemens sæuiet & col-  
 liget, ceu arenam, captiuitatem. Quin-  
 & reges ipsa subsannabit & principes  
 item deridebit. Omnem munitionem  
 ridebit, componet aggerem ex luto ca-  
 pientque eam. Tunc innovabit animum  
 & delinquet. Hæc uictoria eius, est,  
 dei sui. Nonne tu ab æternoes DOMI-  
 NE Deus meus sanctus meus, obsecro  
 nemoriamur. DOMINE ad iudicium  
 nobis pone eum, & ad castigationem  
 funda illum, puri sunt oculi tui ne ui-  
 deant malum, respicere ad iniquitatẽ.

non poteris. Quid ergo respicis arroganteis tacitus dum deuorat impius iustiores se? Et facis hominem ueluti piscem maris, ueluti reptilia, quibus non est, qui dominetur eorum. Omnia adduxit in hamum suum, congregauit ea in fagenam suam, collegitque ea in plagam suam, propterea latatur & exultat, Ideoque offeret fagenę suę, adolebit incensum reti suo. Per illa enim pinguedo partis suę & cibi sui copia est. Quo circa expandet fagenam suam, neque unquam gentes occidere parcat.

## CAPVT SECVNDVM.

**S**uper custodiam meam stabo, & super munitionem statuum me, & contemplanor, ut uideam quid dicatur mihi, & quid uertam ad increpantem me. **DOMINVS** autem respondit mihi, & dixit. Scribe uisionem, & depinge super tabulas, ut qui præcucurrerit legere in his possit. Nempe quod uisio ista ad statutum usque tempus durabit, & libere tandem prodibit in lucem, nec falsum

let. Si moram nexuerit expecta illam  
ueniens nanque ueniet, & non tarda-  
bit. Ecce repugnantis animæ nihil pro-  
speri obueniet, Et iustus in fide sua  
uiuet.

## CAPVT TERTIVM.

**A**T qui uinū fortem uirum decipit,  
adeo ut minime consistat, utque di-  
latet, ueluti Infernus, animā suam simi-  
lis mortis existens, quæ insatiabilis ad  
se colligit omnes gentes, & congre-  
gat ad se omnes populos, Nōne illi om-  
nes in eum sententiam condent & fa-  
bulam & prouerbiū & dicent:

Væ qui suam rem e non suo multi-  
plicat, quamdiu id perseverabit: & qui  
aggrauat super se densum lutum. Non-  
ne subito euigilabunt mordentes te &  
expergescent concutientes te, & appre-  
henderis ab illis: Quoniā tu depræda-  
tus es gentes multas deprædabuntur  
omnes reliquæ populorum, propter  
sanguinem hominis & iniuriam terræ  
ciuitatis, & omnium in ea degentium.

Væ quibus

Væ auido auaro ad damnū domus suæ  
 ut ponat in alto nidū suū, ut euadat  
 manū infortunij. consiliū tuū ad  
 confusionem domus tuæ, concidisti  
 enim populos multos, & pro libidine  
 tua peccasti. Quoniam lapis muri cla-  
 mabit, & laquearia contignationis re-  
 spondebunt ei. Væ qui extruit ciuita-  
 tem sanguinibus, & apparat urbem in  
 iniquitate. Nonne ecce a domino exer-  
 cituum id fiet: quod labore pepererūt  
 populi igni absumetur, & quo defati-  
 gati sunt homines, perdetur. Nam im-  
 plebitur terra cognitione gloriæ domi-  
 ni, sicut aquæ operientes mare.

Væ qui infundis proximo tuo &  
 immisces iram tuam et indignationem  
 ut ebrium illum reddas & respicias ue-  
 renda eius. Et tu pro honore ignomi-  
 nia saturaberis, tum & tu bibes ut nu-  
 tes. Circundabit te calix in dextra Do-  
 mini, ut pro gloria tua indecēter uomi-  
 tum edas. Iniuria enim Libani superir-  
 ruet te & deuastatio ferarum terreat  
 te, propter sanguinem hominis, & pro-

pter iniuriam terræ, ciuitatis, & omnium incolarum eius.

Quid tum proderit sculptile eius quod fictor eius sculpsit, et mendaciter conflatum simulachrum, in quo formator eius fiduciã habet, ut faciat idola muta. Væ qui dicit ligno euigila & lapidi muto surge. Ipsa sumne doceret? Ecce auro & argento obductum est, nequillus in eo anhelitus inest.

## CAPVT QVARTVM.

Precatio HABacuc Prophetæ pro infontibus.

**D**omine audiui famam tuam & timui, Domine opus tuum in medio annorum uiuificabis illud, in medio annorum notum illud facies, præsentem tristitia misericordiæ recordaberis.

2 Dominus a meridie uenit, Et sanctus de monte Paran Sela.

3 Laudis suæ pleni erant celi, & gloria suæ plena erat terra.

*Splendor*

I H A B A C V C.

Splendor eius ueluti lux erat, fulgo 4  
resa manibus eius progrediebantur, et  
ibi abscondio fortitudinis eius.

A facie eius prodibat pestis, et mor 5  
bus a pedibus eius.

Stabat et metiebatur terrā. Videbat 6  
dissoluebaturq; gētes, ut rumperētur mō  
tes et colles mundi incuruarentur.

Adflīcta uidi tabernacula Aethio 7  
pum, cōturbata tentoria terre Mideiā.

Nū in fluctib. ira domini, et in torren 8  
tibus ira tua, et in mari transitus tui.

Dum portareris ab equis tuis, currus  
tui erant salus.

Suscitās suscitasti arcum tuum, iura 10  
menta tribubus dicens, Sela. Flumina  
terræ partitus es.

Viderūt et languerunt mōtes, tempe 11  
stas aquarū p̄terijt, dedit abyssus uocē  
suam, altitudo manus suas leuauit.

Solet luna steterunt in habitaculo 12  
suo, sagitte tuę abierunt in splendore  
suo, et in choruscatione hastæ tuę.

In indignatione conculcasti terram 13  
in ira tritursti gentes.

A 5 Egressus

- 24 Egressus es ad seruandum populū tu-  
 um, ad seruandum unctos tuos. Cōfre-  
 gisti caput ī domo impij, nudasti fun-  
 damentum ad usq; collum sela.
- 25 Maledicas sceptris capitis, una cum  
 uicis eius, qui cum porcella ingruūt, ut  
 me discerpāt, gaudium illorū quemad-  
 modum qui comedit pauperem in ab-  
 sccondito.
- 26 In mari commeante equitui, in luto  
 aquarum multarum.
- 27 Audiui et conturbatus est uentē  
 meus, ad uocem contremuerunt labia  
 mea, intrat in ofsa mea sanies, apud me  
 ipsum perturbatus sum. Vtinam quies-  
 scam in die tribulatio nis, quā ascende-  
 mus aduersus debellantes nōs.
- 28 Ficus enim non florebit, nec germi-  
 nabunt uites, agri nihil frumenti pro-  
 ferent, abrumperetur a mandris pecus,  
 nec ulli boues in stabulis relinquentur.
- 29 Ego uero in domino lætabor, ex-  
 ultabo in deo salutē meā.

H A B A C V C.

Domínus dominus uirtus mea, 20  
qui pedes meos ueluti ceruorum po-  
net, superque excelsa perducet me alte-  
canentem in organis meis.

F I N I S H A B A C V C.

in



N H A B A C V C P R O  
P H E T A M M A R T I N I L V  
theri Annotationes  
P R A E F A T I O.



cholijs diuinum hunc illustrare ua-  
tem, ideo in animum induxi, quo  
& ipse semel tandem aprico gau-  
deret, inq; luce cōspiceretur, quid  
in se complexus, quidue spiritus  
domini per eum loquatur ac doceat. Nam ego plane  
in hoc sum, ut à temporibus Apostolorum hucusque  
nunquam uidiſſe lucem, sentiam. In causa fuit par-  
tim, Hebraeae linguae ignorantia, citra quam fieri non  
potest, ut Scriptura, maxime Prophetae, aliquot in  
locis rectius intelligantur, partim q; ueteres, quibus  
linguarum aderat cognitio, alijs negotijs impediti,  
parum operae huic rei dederint, quom tamen æquum  
fas, utile & necessarium fuisset, hunc Habacuc planif-  
sime omnium oculis & intellectui patuisse, quom ul-  
timum caput, precatio eius, tã in quotidiano usu per  
omnia passim templa & lectum & cantatum sit, sed  
ferè, iuxta uulgatum uerbum, Vt Nonnae Psalterium  
legunt, nempe sine intellectu. Ad hæc diuus Paulus  
summo illum honore prosequitur, non semel hanc re-  
petens sententiam, iustus ex fide sua uiuit, quam & p  
fundamento omnium longe præclarissima ad Roma  
nos

P R A E F A T I O .

nos Epistolæ, iacit, præterea & Lucas in actis binâ  
 vice eandem producit, ut appareat, quàm non fue-  
 rit minime apud Apostolos authoritatis. Quanquã  
 autem ueteribus gloriando nequeamus esse priores,  
 uno Deo huiusmodi personarum sibi seruante respe-  
 ctum. 1. Corin. 3. Illud tamen fateri, ac neuti quã infi-  
 ciari cogimur, quod plus tum lucis, tum claritatis, in  
 plerisque Scripturæ locis, quàm illis, nobis ex Dei bene-  
 ficentia contigerit. Faxit Deus, ut & cum gratiarum  
 actione & maiore fructu.

At priusquam textum auspicemur, primum fa-  
 cienda est uia, communis item parandus introitus,  
 quinedum ad huius, cæterum omnium prophetarum  
 sanio rem intellectum, necessarius & conducibilis sit  
 id enim hæctenus multis imposuit in Prophetis, ut  
 quom de Iudaico regno uerba faciant, sermonem bre-  
 uiter abrumpant. Christum iuxta immiscentes, ut nul-  
 li non, hanc illorum indolem ignorant, rarum ipsis  
 loquendi modum esse uideatur, ceu qui nullo ordine,  
 centum in mille traiciant, coelum & terram commi-  
 sceant, ut neque capi, nec in statum colligi possint. In-  
 iucunda enim omnino res est, librum ordinis exper-  
 tem legere, ubi alterum ad alterum reduci non potest,  
 alterum alteri nõ cohæret, ut pulchra illi inter se qua-  
 dratura congruat, id quod res exigit, si proprie nec  
 non apte loquendum sit. Ita Spiritum sanctum male  
 loquentiæ (ut ita dicam) accusari oportuit, qui ebrij  
 stultitiæ

stultie ritu quiduis effutiat, alterum alteri miscens  
 mirandis adeoq; inauditis tum uerbis tum sententijs,  
 Nostra uero id culpa uenit, quibus nulla siue lingua-  
 rum, siue Prophetarum fuit peritia. Secus enim se ha-  
 bere non potest res, quam quod Spiritus domini, sapi-  
 entia excellat, prophetasq; sapientes faciat. Porro sa-  
 pientem bene & apte loqui non ignorare necesse est,  
 nec unquam aliter esse potest. Porro qui hebetiori est  
 auditu, ut non facile rem percipiat, nec linguarum gra-  
 rus est, illi uideri potest non esse eloquens, quando quie-  
 dem uix alteram uerborum partem audiat uel percipi-  
 at. Itidem nobis haecenus cum scriptura accidit, im-  
 de uelut in Cimmerijs tenebris impegimus, cæci, cæ-  
 cos duces sequuti sumus, sæpenumero à rectis desle-  
 xi compitis, aliud quam res ferebat, attigimus, uixit  
 id quod uulgo dicitur. Qui difficulter audit, ille be-  
 los condit rythmas.

Principio indubitatum est, omnes prophetas, præ-  
 cipue uero prophetas illorum in Christum unicum  
 scopum tendere, ut Petrus Acto. 4. ait. Quod omnes  
 Prophetæ de noui Testamenti temporibus uaticina-  
 sint. Neque enim aliud fuit totum uetus Testamentum  
 quam parasceue  $\nu\epsilon\lambda$   $\pi\rho\delta\delta\omicron\mu\iota$  ad nouum Testa-  
 mentum. Quemadmodum pædagogus herilem fili-  
 um sic educat & præparat, ut bonus rerum suarum  
 dispensator & paterfamilias fiat, uti & Paulus ad  
 Galatas inquit, Legem, pædagogum nostrum fuisse  
 Christum

P R A E F A T I O.

Christum &c. Quod uero interim propheta popu-  
lum redarguunt, ac pleraque uaticinantur, quae ad illo-  
rum modo tempora ualuerunt. Item q̄ & regna &  
dominationes gentium simul admiscuerunt, id totum  
ideq̄ cōtigit, ut Iudaicus populus in disciplina seruare-  
tur, & ad uenturum prepararetur CHRISTVM.  
Acque atq; Christianum multa facere, edere, bibere,  
aliaq; id genus externa opera expedire oportet, nonq;  
per haec corpus tantummodo queratur, uerum ut cor-  
pus foueatur & ita educetur, ut spiritu in hac terra in-  
seruire Deo possit, fide & Euangelio. Sic enim nobis  
in nouo Testamento faciendum est, ut recte uiuere do-  
ceamus populum, ac iuxta tamen & uitam & doctri-  
nam nostram eo dirigamus, ut nouissimum diem, eter-  
namq; uitam expectemus, nequaquam cū hisce in hac  
terra perseuerare cogitantes.

2. Quom ergo tempus appeteret, ut nouum testa-  
mentum impenderet iuxta uatum oracula, quae popu-  
lus diligenter obseruabat, ibi pro sua natura deus sese  
gerens, ostendebat quasi nihil futurum esset, appare-  
bat item, perinde quasi in omnibus prophetis fallacias  
intendisset, terramq; populosq; per Assyrios & Baby-  
lonios deuastando. Ibi demum & prophetas taxari, redar-  
guiq; oportet, ueluti eos, qui non ex deo, sed e Satā-  
na locuti sint, quam opus & impletio uaticiniorum  
eorum longe secus ac diuersius, quam populus intelle-  
xerat, progrediatur. Exemplo tibi sit illud. Commorā  
te in

M. LVTH. IN HABACVC

te in terra populo sub regibus & principibus, expe-  
ctantēq; & inhiante in uenturum Messiam, eiusq; no-  
uū Regnum, de quo uaticinati erant Prophetæ, tamq;  
magnifice populum consolati erant, ibi tū in portu cō-  
stitutis, Christumq; futurum citra ullum impedimen-  
tum, præstolantibus, aduentat rex Assyriorum, ac to-  
tam terram capit, omnesq; secum in Assyriam trans-  
fert. Quàm egregie Christus & regnum eius tum ad-  
uenerunt? Putasne eo temporis ita conuuiatos fuisse?  
Satanas porro cuiquam prophetæ adhibeat fidem, om-  
nes, quotquot sunt insignes nebulones prorsus agunt.  
Expectabamus enim meliora nobis euentura (ut Iere-  
mias de illis prædicat) & ecce deteriora præsto sunt.  
Arbitrabamur futuram nobis pacem, et cæcæ solum da-  
mnum. Nōne uaticinijs de Messia suis egregie impo-  
suerunt nobis?

Spes tamen reliqua erat, adhuc tribu Iuda  
in terra permanente, Hierosolymisq; mirandū in mo-  
dum, diuina uirtute per Iehisciam Regem seruatis,  
CHRISTVM tali pacis tempore uenturum.  
Hic uero omnis adimebatur spes, quom Ierosolyma si-  
neret desolari Deus, multo crudelius, quàm Israelem.  
Atq; dum Christum expectant, adest rex Babylonicus  
qui peius adfligit Iudam, quàm rex Assyriorum Israe-  
lem. Queso te, quis porro fidem illis prophetis adhi-  
beret? Quid spei reliquum erat, quom terra desola-  
ta & destructa, Reges, Principes, Sacerdotes, Pro-  
pheta

P R A E F A T I O.

phetae, & nihil non, sublatis, solis agricolis, exoticisq;  
gentium principibus in terra relictis, qui pro suo uo=  
to potiebantur sceptris? Hocane Christum uenire est,  
ac nouum, praepotens, auspicari Imperium, quod un=  
diq; terrarum dominetur? Immo, hoc regna perdere  
ac deuastare est. Ecce huiusmodi Dei opus non accipie=  
bant ipsi, rationi nanq; & carni captu impossibile est,  
ut illic uita inchoari debeat, ubi uita finiat, & illic ho=  
nor proueniat, ubi contumelia, illic futurum Regnum,  
ubi Captiuitas fit. Pugnat enim ex Diametro cum rati=  
one, sensibus, usu & experientia totius mundi. Atqui  
Deus non secus agit, nec enim aliter potest, ut Scriptu=  
ra de eo praedicat. 1. Reg. 2. Dominus occidit & uiuifica=  
cat ducit ad inferos & reducit. Pauperẽ facit ac ditat.

Hic inuigilandum erat Prophetis, hic res summe re=  
quirebat, & admonitionem & consolationem, ne Iu=  
dæi ab expectatione, tum Messiae, tum regni eius exci=  
derent. Vbi demũ Jeremiam Ezechielem, & antea E=  
saiam, multosq; alios, annunciare oportuit, quod ta=  
liã Christi nequeant prohibere aduentum. Et si non o=  
mnes credant, ut aliqui tamen in fide conseruentur,  
uenuriq; Christi consortes fiant. Ex eorum numero  
Habacuc quoque prophetam est cernere, Cuius pro=  
phetia uniuersa eo uergit, ut annunciet quomodo rex  
Babylonis aduentu suo Iudæam deuastaturus sit pro=  
pter delicta populi, quæ Dominus ea uia puniturus sit.

nec ideo tamen Christi aduentũ, uel retardandum uel

**D** impe

impediendum. Ceterum opus esse Dei, qui sic adora-  
net, ut rex Babylonis huiusmodi peenam, licet inscius,  
perficiat, ipse quoque dehinc unà intereat. ut uulgo di-  
citur pater uicitur uirga, ad castigandos liberos suos,  
deinde Vulcano tradit. Vt enim cum singulis homini-  
bus singulatim operatur Deus, uti tum illum ad sum-  
ma euehat, quum ad inferiora deijcit, ita cum toto re-  
gno solet agere, immò cum uniuerso mundo. Quo lo-  
co & fide & uerbo Dei opus est, ut huiusmodi tolle-  
rentur expectenturq;. Idem populo Iuda euenit, ut Re-  
gnum illorum, presente Christo interiret. Quicquid  
nanque à captiuitate Babylonica, cum hoc populo ge-  
stum est, nihil est præterquam compendiaria festina-  
que ad Christi aduentum parascene. postquam terra  
parum exedificata rursum erat populusq; collectus,  
à destructione sui. Tantummodo ut locum, & homines  
concionum suarum regniq; primordijs reperiret.

Quo circa Habacuc ille, Propheta consolatorius  
est, qui populum confortet, animet atq; suffulciat, ne  
de aduentu Christi desperent, quantumuis diuersum  
appareat. Hunc nullis non artibus & medijs eò periti-  
nentibus utitur, ut fides in cordibus firma permaneret  
de promisso Christo. Is autem est sermo eius. Verum  
quidem esse, Quòd propter eorum non optima facin-  
ra, à rege Babylonis terra desolanda sit. At ob eã cau-  
sam, Christum et regnum eius, non impediri quin  
niant, cæterum & uastatorem Babylonicum non esse  
tum in

P R A E F A T I O.

tum inde adepturum prosperitatis, ipsum enim unā in-  
 terimendum. Quandoquidem opus Dei sit & natura,  
 ut in necessitatibus adiuuet & in medijs oportunitati-  
 bus succurrat, & ut sequens precatio habet, Recordatur  
 misericordiae, praesente tribulatione. Et ut dici so-  
 let, ubi funis tenacissimus fuerit, fragitur. Sicut & nos  
 Christianos uerbo Dei suffulciri oportet ad nouissima  
 usq; die, etiamsi appareat Christū differre, quasi uentu-  
 rus non sit. quandoquidē ipse testificatus sit, non nisi in  
 nocte, ex inopinato uenturū se, dum aedificant, plantēt,  
 emāt, uēdāt, cōdāt, bibāt, iugali societur thalamo &c. ut  
 saltē aliquot, si nō oēs in fide cōseruētur, hic enī fide et  
 praedicatione opus ē, ut quotidianis expimētis cornimus.

Ex ijs oibus non obscure colligitur, ante Babylonica  
 captiuitatē Habacuc hūc uixisse, forsate Ieremie  
 temporibus, nec non facile, mens eius atq; uoluntas in-  
 telliguntur. Quod uero alicubi legitur, quomodo ci-  
 bū capto Danieli prophetæ attulerit Habacuc, ē terra  
 Iuda, fundamento caret & apparentia, neq; etiā cum  
 tēporū ratioanatione quadrat. Nā quantū ex ipso uati-  
 cinio coniecturare licet, senior fuit Ieremia Habacuc,  
 quom is uastatiōis Ierosolymorū tempore uixerit. Ha-  
 bacuc uero de ea uatiāatus sit. Daniel autē Ieremiā se-  
 quitus est, diuq; antea uixit, q̄ in carcere coniectus est  
 Proide Habacuc, noie ad officiū suū accōmodato, insi-  
 gnitus est, Habacuc enī Amplexator ē, uel illū, qui alte-  
 rū cōplectitur, et ulnis cōprehēdit, signat. Nā prophe-



tia sua complectitur populū, & in ulnas reclinat. Hoc est consolatur eos & sustentat quemadmodum triste plorans puellus amplexu suscipitur, ut sileat & pacatus sit. quādoquidē, si Deus ita uelit, melior futurus sit.

## CAPVT PRIMVM.

Onus, quod uidit Habacuc propheta,

**E**X ipso statim textu clarescit, Habacuc diu, ante Babylonicam captiuitatem, floruisse, quomonus se uidisse adfirmet. In Hebræa enim lingua propheta, uidentes aut contemplantes adpellantur, quod antea in spiritu uideant & contemplantur futura. Vnde & Iesaja uolumen suum uisionem super Iuda & Ierusalem nominat, quod de futuris que ipsæ spiritu prouident, agat. Abadia item librum suum, uisionem Abadia inscribit. Amos præterea scribit, quod Amazia iussit eum cedere hisce uerbis. Tu uidens, seu contemplator, Amouete hinc in terram Iuda. Huiusmodi uerborum nos adsuesieri oportet, nempe quod Hebraice propheta, uidentem sonet, ueluti qui futura & occulta, que alijs sepulta sint, uideat. In hunc modum futurum super Ierusalem uidit Habacuc malum, per regem scilicet Babylonie, unde consolatur & amplexatur populum ut ad fidem & spem ardentius inuitet.

Quam ob causam autem Onus adpellat, quomonus illud esse debeat? Nam multo consolatur fortius, quā  
premut.

ANNO TATIONES.

premit. In more est prophetis, ut uaticinia sua, onera,  
 Hebraice Mascha uocent. Idq; inde, ut Ieremia indi-  
 cat, profluxit, quod per frequenter populum prophe-  
 te corripuerunt, eisq; iram Dei minati sunt, ut & ne-  
 cessarium est, Concionatorem, semper redarguere  
 populum, quoniam boni pauci, mali uero multi sunt.  
 Porro quom id agerent Adagium inde nascitur, ut  
 uulgus diceret, Quid concionatus est? tumq; respon-  
 deretur. Iterum in nos concionatus est, Nos semper de-  
 liquimus. In nos perpetuo faba cuditur, nobisq; mina-  
 tur. ut hodie etiam dicitur, Infernum nobis calentem,  
 Satanam uero migrantem faciunt. Ex eo itaq;, quod  
 Prophetæ semper aliquid super eos uenturum enunci-  
 arent, Sermones illorum, onus nominabant. Hoc est  
 aliquid quod superingruat, iamq; impendeat atq; fe-  
 ratur super eos, ut eos ilico tangat, Sicut ira Dei & ul-  
 tio in singulis horas pendet, & fertur supra impios,  
 tametsi non sentiant. Ea de re uide, si lubet Ieremiam.  
 24. Quomodo uerbum Dei Mascha adpellabant, ut  
 adeo male haberet ea res Deum, ut uel inuideret. Dum  
 ergo & Habacuc de futura super Ierusalem ad afflictio-  
 ne uaticinatur, quamuis consoletur magis, quam ter-  
 reat, Concionem tamen suam onus uocat, uulgata o-  
 mnium prophetarum & populi consuetudine. Nam  
 & in ea primum interminatur. Vel ideo, quod eos hu-  
 miliet & terre faciat, si quo modo uitam suam innoua-  
 re, futurumq; auertere malum uelint.

B 3 Quousq;

Quousq; Domine clamabo & non  
exaudies? Quousque uociferabor ad  
te, super iniuriã, & non auxiliaberis?

Hic & culpam & populi delicta, ob quæ diuinam  
super illos animaduersionem, uenire necessariũ esset,  
orditur. Orditur autẽ uehementi exclamatione, ac pre-  
catione ad Deum, ac si succenseret ideo Deo, quod tam  
diu ad peccatum conuueat, admittatq; , secure adeo se  
se excusare homines. Perinde atq; dicat. Multum uobis  
quidem prædico, sed nihil iuuat. Verbum meum spre-  
tum est, neq; quisquam se corrigit, sed potius ad dete-  
rius permutatur. Quare quo me uertam, nescio, nisi  
ut tibi conquerar. Tu uero talem te geris, quasi nec ui-  
deres nec audires me. Quæ non ideo proponit Habac-  
cuc, quod cum Deo uel delitiget uel contendat, quem-  
admodum uerba ferè sonant. Verum enim uero, ut  
per hæc attonitum reddat populum, & ad innouatio-  
nem uitæ alliciat, demonstratq; , quàm iure, ira ista si-  
ue onus, illis certissime impendeat. cum nullius planè  
concionis, interminationis, exhortationis, nullius de-  
niq; orationis, aduersum illos factæ, cura tangantur.  
Quo simul indicat, quod uehementer in redarguendo  
populo, in suis concionibus, institerit, multaq; ideo  
molitus sit, sed nullum sermonibus suis inuentum lo-  
cum. Deinde, quod multa sollicitudine, & angustia,  
populi nomine, uratur, futuræ tum ultionis, tum degra-  
nationis

ANNOTATIONES.

uationis causa, lubenter anticipaturus poenam, & ab eadem liberaturus iudeos. Hi uero utrumque nihilum curant neque credunt instare onus, nec à peccatis desistere, peccatorum in morem, auent. ut quamdiu non sentiant, non credant, quantumuis uel minis, uel correptionibus impetantur.

Quare permittis, ut uideam ærumnam & laborem? Quare rapinam ac temeritatem circum me demonstras?

Videmus hic de Iudaico eum populo loqui, neque dum de rege Babylonis sermonem eius esse. Queritur enim quàm in malo sint, res terra, statu, quod pessima circa eam facinora contingant, ad quæ tamen conuiuendum illi sit, quandoquidem prohibere non possit. quare prædicationis illum tædet, ut optimum quenq;, qui lubens anteuertere supplicium cupiat, ac pios reddere mortales molitur. Vbi enim animaduertit, omnino nihil è concione sua fructus pro manare, sed planè deterius fieri, poenitet eum ferè prædicationis, nec tamen potest, nec audet, propter electos aliquot omittere. Atq; hoc in nostri nobis tum consolationem, tum exhortationē scriptum est, ut ne rarū aut mirū uideatur, si pauca ex doctrina nostra, uitam suam corrigant, sed magis in deterius prolabantur. Pleriq; enim omnes ferè concionatores, præsertim neophyti, dum primū ex ustrina procedunt, arbitrantur, protius

nus & manibus & pedibus insigne esse debere, ac illico fieri permutariq; quicquid dixerint. Caterum illic longe errant, quom neq; Propheta nec Christus ipse consequi tanta potuerint. Habet aut res, ut uulgo dicitur, Iunior es, q̄ ut ueteratores, in bonos uiros transformare queas. Idem uati huic Habacuc occurrit, quem supra quam dici possit, male habet, quod doctrina sua, nolit mera operatio, actusq; fieri.

Due ille Hebraee uoces Auen & Amal, quas ego ad afflictionē & laborem uerti, sepius, maxime in Prophetis coniunctim ponuntur, opusq; est ut nobis familiariores faciamus, geminum enim usum complectuntur. Alter quo nauseam & grauamen significant, ut germanice de arduis negocijs, ac intricatis causis dicitur. Hic ist muhe und arbeyt. Hoc opus hic labor est; Ita & Psal. 89. de senio confectis ait. Quod si diu uixerint, ad octuaginta perueniunt, quod supra est. Auen et Amal est, afflictio & miseria uel labor est. Eo quod senum difficilis & infelix res uitaq; sit. Alter, quod iniquitatem, nephas & malitiam significant, quo modo Prophetis in usu est. ubi in impios inuecti, pessimam illorum uitam afflictionem & laborem nominant, ut Psal. 9. de Antichristo ait. Sub labijs tuis afflictio & labor. Idq; eam ob causam. Pseudodidascali enim, Impijq; homines, sua malicia, & mendaci doctrina, multum alijs damnum dant, quippe quos depraedantur, deglubunt, detrahunt aliquid rei, premunt, seducunt, atq; imitilia

ANNOTATIONES:

inutilibus legibus, ac intollerabilibus operibus onerant  
 & degraunt. Quemadmodum & nos uerbo infortu-  
 nij gemma uia utimur. Primum, quod simpliciter, si-  
 niſtrū euentum accidensq; damnū significat, quod sine  
 peccato fit. Secundo, quod etiam scelus & κακότης  
 χυίος denotet, ut si uerbero quispiam, aliquid mali de-  
 cernat secum, dicere solemus. Ille infortunium institu-  
 it, id est, scelestum facinus, per quod alijs, dein & ipse  
 malum obuiaturum sit. Huiusmodi autem differentia  
 & usus, ex oportunitate linguarum & historiarum  
 accipienda sunt.

Subindicat ergo hisce Habacuc, quis rerum fuerit  
 status in terra Iuda, se concionatore, nempe ad afflictio-  
 & labor illic suere. Hoc est, nulla charitas, nulla ami-  
 citia, nulla ueritas neque fides inter mortales fuit, sed  
 quisq; sua que stuerunt, aliusq; aliam anteuertit, se fel-  
 lit, ad hæc rapuit, furatus est, quoquo tandē modo, iux-  
 ta ipsius interpretationem, qua inquit. Quare osten-  
 dis prædam & iniuriam circum me? Ac si dicat. Eius-  
 modi ad afflictionem & laborem accipio, quo alter alte-  
 ri, quod suum est aufert, temerario in ipsum impetu ra-  
 ptus. Apud Hebræos, duo illa uerba Rapina atq; Te-  
 meritas fortem significationem habent. Primum, nõ  
 simplicem rapinam indicat, sed ueluti perditionem ac  
 depopulationē, sicut domus aliqua uel ciuitas destrui-  
 tur et desolatur. Quo dicere uult Propheta, quomodo  
 alius alium perdat, & ad inopiam redigat, edibus,

B s agris

agris adeoq; cunctis bonis priuentur, non secus ac si  
perditi desolatiq; essent, ut & tū in ciuitatib. tum pro-  
uincijs fieri solei, ubi nulla siue æquitas, siue ordinatio  
locum habent, diuites & tyranni pro sua libidine quid  
uis perpetrant. Vnde & altera dictio temeritas uoca-  
tur, hoc est, Iniuria, ceu ij, quibus nulla sit cordi iustitia  
Que duo uerba sic germanice reddidimus. Sie treybe  
citel gewalt, und uer derben einander in der Stadt. Me-  
ram iniuriam exercent, perduntq; alius alium in urbe

Atqui nondum uides hic, quod Habacuc uel idola-  
trie, uel aliorum peccatorum causa in Iudeos inue-  
hatur, ceterum ob ea peccata modo, quæ aduersus p-  
ximum fiunt, ut eo temporis beatos floruisse homines  
oporteat, qui purè diuinum cultum conseruauerint.  
Eum uero fides & Charitas uulgo defuit, auaritia, u-  
sura, & iniquitate obsesso. Porro nulla Deo cultu-  
ra grata est, quantumuis ingens existat, ubi proximo  
quis malum dederit, ut Hoseæ. 6. ait. Oblationes no-  
lo, sed beneficentiam. Et Matth. 5. Relicto munere tuo  
ante altare, uade reconciliare fratri tuo. Quom ergo  
sibi uicissim noxij sint & iniurij, rursum minatur eis  
interitum & iniuriam per regem Babylonicum, iuxta  
Dei consuetudinem, qua pro sua bonitate quemuis iue-  
dicat & punit, secundum eius merita.

#### Iniuria anteuertit ius.

Ostendit hic, quid temeritatem & internitionem  
uocet. Nepe qd nulla iustitia defenditur aut asseritur,  
sed sola

ANNOTATIONES.

sed sola iniuria felici successu progreditur. Quo simul optimates ac maiores terræ attigit. Alacriter sese unâ cum prædicatione sua & increpatione periculo exposuit, potentes taxans. Porro & ipsum seditiosum dânantumq; oportuit, quom talis sit, qui magistratum cõtemptibilem reddere uelit apud subditos. Id enim seditiosum dici nunc in usu est, si quando Principes ac magistratus per uerbum Dei corripiantur, nec libera illis ad quidiuis perpetrandũ uia permittatur, ut ita in pessimis suis institutis nõ etiam prædicentur commendenturue. Iam nullius culpa in terris peccatur, quàm sublimioris potestatis, cui diuinitus ad coercendos ac puniendos fontes traditus est gladius, ipsa tamen interim ne dũ laxas iniustitiæ habenas smit, cæterum ipsa quoq; committit ubi enim seuerus magistratus est, sæpe apud subditos omittitur, quod alioqui fieret.

Habacuc uero increpando pergit, nihil seditionis calumniam, ueritus, peccantesq; inter optimates potissimum arguit, futurum terræ malum illis totum attribuens. Nam uti dictum est, non eos idololatriæ, idolorumue, immo neq; communium uulgi scelerum, quælia sunt, mentiri, circumuenire, adulerari, nepotem esse & cætera, causa reprehendit, Sed enim ob iudicij tum uiolentiam tum iniquitatem, ut conciones eius tantummodo in Magistratus & iudices ordinatæ sint. Quod ipsum postea & pœna satis indicat. Ne buchadnezar enim præstantissimã, populi modo partem secum



secum abducebat, solis pauperibus, tenuibus, agricolis & hortulanis in terra relictis. 4. Reg. ul. Quasi Deus re ipsa dicturus esset, Soli magnates demeruerunt, unde ipsi poenam soli etiam luent. Et ferè in omnibus Dei castigationibus sic fit, ut potestas supplicium ferat potissimum, & precipitur, relicto in terra populo. Excellentiore enim in populo uigere potestatem necessesse est, cui subiaceat populus aequè, atque domino suo equus. Porro non multum plebi curæ est, si domini sui aut primores, scelesti, ab alio quodam è throno deiciantur, siue meliore, seu in malitia pari, ut adeo in terris punitio DEI ferè sit, id quod Maria canit. Potentes è thronis deicit, abiectos autem exultat. A condito enim mundo ad hunc usque diem, liquido apparet, ut alterum Regum per alterum, alterum Dominorum per alterum deiciat, aliosq; in thronum collocet, relictis terra populoq;. Nisi ubi cum hominibus simul etiam terram uastare decreuerit, ut in Sodomâ & Gomorra cognitum est.

In hunc modum Regem Israel per Regem Assyriorum, & rursus Regem Assyriorum, per Regem Babylonis, deinde Regem Babylonis, per Regem Medorum deiecit. Persarum item Regem per Alexandrum graecum Regnum graecum per Romanos. Romanum per Gothos ac Thurcas comminuit. Et suum arietem, si mundus diutius consistit, tandem sentiet Thurca. Et ita tam in Imperijs uel Monarchijs, quàm regnis, tam

maioribus

ANNOTATIONES.

maioribus quam minoribus dominationibus, nihil aliud, quam ruinam & resurrectionem alternam, cernere est, quasi uniuersus orbis nihil aliud sit, quam assidua conflictatio, (qualem heroes equis colluctantes in ludis serijsq; certaminibus exhibere solent) atq; equitatus, ubi mutua fiat compunctio, & fractio, ubi nihil uat, quam qui occumbat, occumbat, qui sedeat, sedeat. Idq; totum iniquitatis & iniurie nomine, ut culpa sit potestatis, si res non recte in terra passim geratur. At qui diabolus archimonarcha huius mundi illos ita agit, ut gladio diuinitus sibi commissio inique abutantur, quemadmodum et mundus reliquis dei bonis abutitur, quom tamen non possit non esse gladius, uti edere & bere. Atqui Deus semper a manibus illorum per successione tollit, alijsq; propter abusum subministrat. Sic perpetuo gladius ac potestas in mundo perdurant, persone uero, quibus commissio est potestas, semper de ieiuntur uel eriguntur iuxta sui meritum uel demeritum.

Id uero Iudaeis imposuit, caecitatemq; adduxit, ne Habacuc uerbis adhiberent fidem, quod tum idololatrie tum simulachrorum expertes erant, uidebantur sibi iusti, propitiumq; habere Deum, ut nihil minus, quam tantam eius expectarent iram, id quod & hodiernum adusq; diem eius populi natura est, omnium adulatorum & operantium sanctorum instar qui semper sese praecunctis alijs Deo dilectos esse filios, nec se iram posse mereri

mereri credunt, illud Michæ in corde suo uolutes.  
 Heccine deus in mentem suam induceret &c. Si eterni  
 se peccatores confessi essent, Habacuc paruissent, timo-  
 re, humilitate, uitam suam emendaissent, ne super eos  
 ingruisset poena, Nineuitarum exemplo. Hæc uero diu  
 negligunt, certissime colligitur, quod Habacuc pro stul-  
 to & inutili concionatore, se uero pro innocētibus ac-  
 ueris dei liberis habuerint. Qualiter & nostros hodie  
 Spirituales facere uidemus, qui in horrendissimis pec-  
 catis et blasphemijs deo et in seruire, et grati esse putant.

Quare hæc Habacuc sententia, Iniuria superat ini-  
 stitiam, haud ægre in mundo permanebit. ut & uulga-  
 tum sit adagium, quo nemo non iniuriam clamat. Id ue-  
 ro nequaquam nobis mirum uideatur. Oportet nec non  
 debet ita fieri, est enim iste uerus mundi colos. Nā ubi  
 omnia iuste administrantur, & cuncta recte succedunt  
 illic non amplius mundus, mundanaue gubernatio est,  
 Sed ipse Deus met. Et si Iniustitia, Iustitiam non præ-  
 occuparet, Satanas mundi princeps perseuerare non  
 posset, sed sola diuina foret administratio. Neque ta-  
 men impunita sinit commissa Deus, sed, ut mundus à  
 peccato non desistat, sic nec Deus à supplicio, semper  
 alium deponens, alium rursus in sedem per successum  
 collocans, ut Daniel secundo ait. Transfert regna, &  
 liaq; instituit. Et Solomo in adagijs suis uigesimo octa-  
 uo. Propter peccata terræ, multos ipsius esse Princi-  
 pes oportet. Vbi uero homines rationis compotes

ANNOTATIONES.

ac prudentes fuerint, dominus eorum diutius uiuit.

Propterea uacillabit lex neque felicem tandem successum habebit iudicium.

Hoc est, non secundum legem Dei agitur, sed legē flecti & incuruari necesse est, iuxta eorum temeritatem. Eos enim hoc loci taxat, qui de iure gloriantur, nec ullo pacto uideri uolunt, iniuste quicquam perficere, ceterum aliquot aucupatur literas, quas uel inuitas ad sensum suum detorquent, ut quod uelint, significet. Ut & hodie iuriscōsulti nostri sumo suo iure faciūt, ubi putreis malaq; causas habuerint, et iuri tamen huiusmōi nasum fingūt, ut causam & iustā et bonā fieri oporteat. Hoc demū Habacuc legē nutare uocat, q̄ oēs bonae causae & impediatur et ad umbilicū perducine queant. Illic enim uerus legis intellectus in aurā agitur, atq; contemptui habetur, unde ipsi hac ratione abeunt, postquā iure ad suā sententiā detorto, superiores facti sunt. Horū refer tus est mundus, bonorūq; numero cēsentur, nec alio illis cognomine insignire cuiquā licet. Deus aut̄ nihilominus illis & minas & poenā intēdit, nec illis hoc donaturum se demū significat. Quid multa? Pauca admodum iustae causae ad rabulas istos deferuntur, quod & ipsi sentiunt ac faciunt. Neq; enim sic nummati essent, sed potius stipem colligerent, qui in toti auri & sericei conspiciuntur, si male causae nō essent.

Quoniam

Quoniam impius circumuenit iustum  
propterea iudicium peruersum egredi-  
tur.

Hic uides quod ueritas istas intelligat, quibus in  
foro litium, alter aduersus alterum utitur. De quare  
et Michæas ait. Quam supremus exigit, illam iudex  
fert sententiam. Et magni heroes cordis sui cupiditate  
loquuntur, cōturbantes ita populū. Quod enim hic ait.  
Impius imponit iusto, idē est quod Paulus. 2. Thessa. 2.  
ἐξουσιάζει ἡσέου uocat, ubi alius alij fallaciam intendit, et  
insidijs circumuenit, ut iustus iniustā habere causam  
cogatur. Hi uero longe sceleratiores sunt manifestis tu-  
furibus, tum nebulonibus. Publici enim scelerosi, palā  
aduersus legē peccāt, ut nemo non sentiat ac tāgat etiā  
hi uero iusti esse, et quod iniustū est pro iusto haberi uo-  
lūt. Dupliciter ita nefarij existētes, primū q̄ inique ag-  
gūt. Secūdo, q̄ iniustitiā istam suā iure uenustā reddūt  
ac, si Christo placet, defendūt, qd̄ priore deterius est.  
Quom enī Habacuc hic p̄nūciat, oportere uacillare le-  
gē, ac peruersa florere iudicia, aperte palā illos uel di-  
gito mōstrat, qui iniuste cū iure et sentētię latitiōe agūt,  
quo suam exornēt causam. Statū ergo terrę nunc ha-  
bemus, nempe q̄ sceleratis impostorib. referta fuerit,  
maxime inter proceres, qui tamen noluerunt uideri  
tales, duplici malo alijs noxam adferentes. Altero,  
quod iniuste cum illis agant. Altero, quod alio-  
rum

A N N O T A T I O N E S :

rum iustam causam iniustam faciant, ac sub specie bonorum uirorum desperati sint nebulones, Quod & coram Deo et hominibus odiosum est, nec ideo perditum tollerare potest Deus, sed, ut sequitur, punit.

Videte inter gentes & contemplantini, & uicissim admiramini, & obstupescite, quoniam certe profecto faciam in diebus uestris, quod non credent, ubi narratum illis fuerit.

Prædictis nebulonibus poenam hic minari incipit, ac primo fiduciam illorum & securitatem tollit, quæ nitebantur. Fidebant enim in hoc, quod populis Dei essent peculiaris, quodq; Deus Hierosolymis in templo sancto suo commoraretur. Quæ urbs ad illum usq; diem sepe numero insignibus miraculis defensa erat, non solum aduersus finitimos ac circumiacentes ducatus & regna, cæterum & aduersus potentissimum orbis imperium, quod Assyrij tum tenebāt, quod licet antea totum Israel em & deuastarat, & abduxerat, ante Ierosolyma tamen, Iehiscia regis temporibus, summo decore obruebatur, ut una nocte centena millia, & octuaginta quinque millia amitteret, & ad fugam se uertere demum cogeretur. Quapropter ridiculum admodum, & nugæ planè uidebantur Iudeis, quæ hic Habacuc & reliqui Prophetarum uaticinabantur, de Hierosolymorum deuastatione. Neq; credere unquam

C      poterant,

poterāt, donec ita fieri uiderent. Adeo illo fidebant, quod Deus Hierosolymis secum demoraretur. Neque profecto exigua fuit audacia, siue confidentia, à qua se ratio non potuit auertere. Ibi tum pseudopropheta ingesserunt se, qui Scripturæ deprompserunt sententias, quibus Christum uenturū Deus pollicetur, & Dauidicæ sedis magnificentiam, & similia. Erga quos Habacuc, eiusq; similes, qui planè contrariū adserbant, omnes oportuit esse mēdaces. Nec enī cōgruebat inter hęc duo, magnificū fore regnū, & iuxta destruendum

Taxat ergo nunc Habacuc arrogantia & si- (idē) ducia illorū dicens: Videte inter gentes, Contēplamini et obstupescite inter uos. Ac si dicat, In uos desiguis oculos, de uobis tantū præclara sentitis, omnino tuū certū estis, q̄ Deus uobiscū tantū magnifica operetur, quæ omnes gentes demirentur, ut et hæcenus fecit. Iam uero uidete & respicite, quid nam per gentes acturus sim. Ego rē semel uertā, et per gētes itē faciā, quæ uobis et rara et stupēda erunt, ut nō credatis etiā, donec sentiat̄is et expiamini, sed enim prophetas meos Habacuc & Jeremiā, illorūq; similes, stultorū, adeoq; nugatorū loco habeatis, nec reputet̄is meū esse uerbū, quod illi nunciāt. Sicut et Zedechias rex credere nō poterat quod Ieremias ad eā rem prædicabat: unde acerbabat eū, interrogās, num uerbū ex deo esset. Iere. 33. Ecquid admirabilius operari poterat deus, quā q̄ per hostes suos, gētes, thronū suum, tēplum suū, ciuitatē et popu-  
lum

ANNOTATIONES.

lum suū destrueret, que aduersum cūctas gentes usq;  
eō inclita reddiderat, cōseruari q; quorū perpetuus  
Deus, & protector esse promiserat.

At uero per hoc abūde satis indicat, se nolle, aliqua  
nos re fidere, nisi in sola sua tū gratia, tū misericordia,  
Vides nanq; iudeis hic nihil prodesse, q; populus Dei  
sint, q; sint de semine Patrum, q; legem Dei, templum,  
sedem, ciuitatem, & populū possideant, neq; iuuare, q;  
tot, tantaq; hactenus in ijs gesta sint, neq; quōd pmissi-  
onem Dei habeant. Quam ob causam? Quōd hæc o-  
mnia, citra fidem & spiritum haberi queant, ut & bo-  
na iudeorum pars habebant. Porro ubi sine fide &  
spiritu possidentur, nihil fit, nisi quōd culpa augetur.  
Qui enim plura habet, ab eo plura exiguntur. Ad  
hæc, arrogantes, temerarios, tutos, curiosos, cri-  
stasque erigentes homines reddunt, qui ideo super-  
cunctos attollunt sese, quibus huiusmodi non conti-  
gere, se solos peculiarem esse populum Dei uolen-  
tes, reliquis omnibus contemptis & condemnatis. Id  
uero perferre non potest Deus, ut quo quisquam,  
præterquam in una sua gratia fidat, unde illud cum  
uniuersis in idem sperantibus interire sinit. Quod  
quom caro & sanguis credere nō possit, quippe, cui ni-  
mis mirū sit, cuius uel fiducia tuta sit, experiri cogitur,  
ut et iudeis hic obuenit. Fidei nanque & spiritus,  
nulla illis ratio erat, arbitrabanturq; paulo ante nu-  
C 3 merata



merata satis esse, ut populus Dei adpellaretur, ac ideo protegerentur, qua opinione prorsus ad internitione precipitantur. Quae omnia & nobis dicta sunt, qui nomine & specietenus Christiani sumus, qui de baptismo, religione, & officio, super omneis, tam Gentes, quam Iudeos gloriamur, ac iuxta fidei tamen & spūs aequae uacui sumus, atque illi, ut adeo uel nos tandem per illos interire oporteat, quos iam adspernamur, ac nobis deteriores iudicamus, ut Iudeis per Chaldaeos contigit.

Oboritur hoc loci, quæstio, quomodo cum hoc textu quadret, quod D. Paulus Acto. 13. hanc sententiam ita recitat, Videte, inquit, ne ueniat super uos, quod scriptum est in Prophetis, Videte contemptores, & admiramini, & obscuramini, Quoniam ecce operor opus in diebus uestris, quod non credetis, quando uobis quisquam narrabit. Quod haud dubie, de Christi resurrectione Paulus citat, quem admodum eius locitextus cogit, quod neque hodie Iudæi credunt. Habacuc uero hanc sententiam de terræ uastatione, per Babylonis regem uentura, ob delicta populi, profert, ut manifeste in ipsius uerbis uidemus. Ad hæc respondendum est, quod hæc autoritas, ceu communis sermo, in non dissimili casu, suscipitur à D. Paulo. Nam de quouis opere Dei uenturo, sic bene mihi dicere licet, Ecce Deus aliquid faciet, quod nemo credet, siue prædicetur, siue canatur. Mundus enim Dei uerbo non credit, donec in experimento

ANNOTATIONES.

experimento repererit. Quare hac sententia recte ad  
ingens illud opus, quo terra uastanda erat, Habacuc  
autur. Et Paulus ne utiquam impertinēter ad maximū  
Dei opus de Christi resurrectione utitur, qd' tū factum  
erat, nam neutrum credebatur. Sicut & indies quibus  
cūq; scripturæ autoritatibus uti possumus aduersus  
Papam & impios, quas de Hierosolymorum uastatio  
ne Prophetæ prædixerunt, ut si dicam, Effecit Deus  
in Papatu, quæ nemo unquam credidisset, quisquis etiā  
nunciasset. Atq; porrò in eo faciet, quæ iam nemo cre-  
dit, etiam si prænuncientur, attamē cognoscetur olim.  
Tantūdem Habacuc uult dicere, Sanè Deus quicquam  
operabitur, quod non creditis, dum dicitur, donec ipsi  
experiamini. Quod uero D. Paulus ait, Respicite con-  
temptores, & Habacuc, Videte ad gentes &c. in caus-  
sa est, quòd aliam translationem Paulus sequutus sit. In  
quo tamen nihil situm est, eadem enim utrinque  
mens est.

Ecce enim concitabo chaldæos, gen-  
tem amaram & celerem, pertranseun-  
tem septa terræ, ut occupet habitatio-  
nes non suas, gentem atrocem atque  
terribilem.

He sunt minæ, in contemptores, obihura' osq; pec-  
catores, quas tamen ipsi ludibrio exposuerunt ac ri-  
serunt, perinde atq; generi Lot Gen. 19. Propheta qui-

C 3 dem

dem uehementer rem exaggerat, siquidem lubens illos  
 terrefaceret, & ad uitae suae inuouationem reduceret.  
 Hic enim, non leucis super eos hostes missurum deum  
 praedicat, ceterum Chaldaeos, id est, Caesarem Babylo  
 niae. Illud enim imperium tum in flore erat, augmenta  
 baturq; assiduò, ac tantum fuit atq; si nobis hodie cum  
 Turca quidam minitarentur, qui potentior & peior  
 esset, quam ut ferre possent uires nostrae. Quod &  
 multo horribilius sonaret, quam si uilior quisquã prin  
 cipum circum nos iacentium tale quoddam moliretur.  
 Ad haec addit, esse amaram gentem, id est, uehementer  
 ferocem ac malam, quòd erudeliter & tyrannice cum  
 terra populoq; agat, quae non sperni, sed timeri uelut.  
 Quòd si qui resisterint ei, cruciat eam in tantum, ut ca  
 pite penetret. Quare opus est, ut sibi Iudaei timeant, ne  
 que cogitè Chaldaeos, uel segnes, uel ignauos esse. Prae  
 terea ueloces sunt, ac festini admodum, ut iterum Iudae  
 is putandum non sit, quòd remotiores sint, quam ut ce  
 leriter adesse possint. Veluti si dicat: Emendate uos di  
 lecti filij, neq; cogitationibus uestris fidite, ut arbitre  
 mini Chaldaeos non tam acres esse, aut nimis remotos,  
 Iudaeis uobis praecipue acerbi & infensi sunt, praecum  
 Etis alijs, ac uelociter aduenient.

Tertio, copias illorum demonstrat. Pertransibunt  
 inquit, totam terram, id est, terra Chaldaeis replebitur.  
 Ac si dicat: Si uos non territat, q; tam potentissimū im  
 perium aduersum uos excitatur, id uobis terrorem in  
 cuieret, quòd adeo acerba & ferox gens est, uobisq;

A N N O T A T I O N E S.

potissimū infusa. Si neq; hoc, terrori uobis id saltē fue-  
 rit, q; tam uelox, expedita & instructa est contra uos.  
 Sin & hoc nihil efficiet, ppendite illorū immensas co-  
 pias, uestri uero tantillū numerum, ut pedibus uos illi  
 contererēt. Oportet Iudæos omnino tutos nihilq; timē-  
 tes imperij Assyriorū fuisse, q; tam acriter ac potēter  
 illos propheta deterreat. Hoc enim freti erant, q; popu-  
 lus dei essēt, nec ideo interituros se unquā cogitarent.  
 Ideo pergit propheta, et magis exaggerat. Occupabit  
 inquit, habitationes non suas. i. omnes ciuitates uestras  
 et aedes, quas non illi, sed uos exedificastis. Neq; illi cu-  
 re erit (sicut et uere uobis nō pderit) q; Ierusalē ciui-  
 tas dei et habitatio sit, qua maxime Iudæi fisci sunt. Atq;  
 frustra est, Babylonicū oīa occupabūt, quantūuis non  
 sua, est enim atrox et terribilis gens. Et elegāter Haba-  
 cuc, Habitationes (inquit) nō suas, noluit dicere, Cōmo-  
 rationē dei, ut Ierusalē et templū. Tum tēporis pericu-  
 losum, noxiū, & blasphemū erat, si quis Hierosolyma  
 diruenda cōfirmaret, ubi deus ipse demoraretur, neq;  
 hoc uulgus ullo pacto audire poterat. Quocirca huius  
 modi uerba Habacuc uitat, iuxta tamen dicens tantū,  
 q; omnia huiusmodi sub eo comprehendantur.

Iudicabit & premet pro suo more.

Rationem addit, quare Babylonica gens tam seua  
 terribilisq; sit, neq; enim iudicat, aut sententiam fert,  
 pro alicuius terræ lege aut cōsuetudine, nec iuxta legē  
 uestram, sed pro sua libidine uobiscum aget, fructurq;

uictoria pro suo beneplacito, nullā sibi metā scopum-  
 ue præfigi sinet. Sed ut uobis infesta, & acerbā in uos  
 est, sic amarā in uos sententiam feret, & ut feret sen-  
 tentiam, sic exequetur & in uobis consummabit. Atq;  
 hoc est iudicare & premere, pro more suo, hoc est, iu-  
 xta nullam legem, sed secundum quod illi uisum fuerit.  
 Ita enim solent Tyranni, ubi uictoria potiti sunt, ibi nul-  
 la misericordia, nullum ius, nullus timor Dei, nulla æ-  
 quitas, nulla patiētia, nulla cognitio priuati peccati, me-  
 ritæq; pœnæ, Caterum feroāum luporū more, iuxta  
 malam & iratā uoluntatem cupiditatem tantum suam  
 exaturant, ac se crudelissime ulciscūtur. Exemplo sint  
 tibi nostris temporibus Episcopi et nobiles, quā pro  
 omni uoto ac temeritate sese ulti sint, et quotidie adhuc  
 ulciscātur in colonis, ubi innocentē cū nocēte interire  
 oportet. Nec illo satis habent, quōd uicerint, ac pristi-  
 num locum receperint. Quōd autem et sese cognosce-  
 rent, ut debent, quōd peccatis suis nedum temporale  
 ferre damnum à Deo, ueluti exiguam pœnam, merue-  
 rint, uerum etiam mortem & Inferos, ut iustū suppli-  
 cium, ex eo uero nihil sit. Ad minimū assēm omnia rur-  
 sum exiguntur, ueq; tantillum pœnæ condonatur, qua-  
 si nihil ipsi aduersus Deū deliquerint. Quamobrē ita  
 faciunt: Idco, ut et ipsi apud Deum, p̄ suis peccatis nul-  
 lam consequātur gratiam, uerum ut illorū cor indure-  
 tur, ne peccata sua uideāt, et os eorū obthuretur, ut ne  
 orare queāt, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos  
 dimittimus

ANNOTATIONES.

dimitimus & c. Et ita demū ipsi absq; miseratione intē-  
tēant. Quare nō incassum sit, quōd nobiles ferē pro  
insignibus suis, leones, ursos, lupos aliāque saeva gestēt  
animantia. Indicatur hīscē natura illorum.

Equi eius uelociōres sūt pardis, &  
festinantiōres lupis uespertinis.

Pardos nunquam ego uidi. terrarum perlustrato-  
res, tradūt esse animal, cui sit pellis uarijs distincta ma-  
culis, foeminas maribus ferociōres. Lupi uespertini,  
quōd aliqui lupos ex deserto transferunt, nam utrum-  
quē ex Hebr. ea uoce intelligi potest. Ego tamen lupos  
esse uespertinos potius crediderim, ut hęc sit sentētia.  
Lupos, qui natura rapax, prędę inhians ac sanguino-  
lentus, uespere tamen longe rapaciōr sit, quom totum  
diem non cucurrerit, & ita ad uesperam famelicus sit,  
ut idem sit, uespertini lupi, quōd famelici qui diu ci-  
bum non gustarint, ut & Zephania. 3. ait, de falsis do-  
ctoribus. Pastores illorum sūt lupi uespertini, qui ni-  
hil residuum ad mane sinūt. Vult ergo Habacuc, quōd  
Pardi & Lupi celeres sūt, non quōd natura uelocio-  
ris sūt cursus, prę cęteris animantibus, cęterū quōd  
festinent, & auide ad prędam inhient, dum fame diue-  
xantur, & minore misericordia lacerent & pręden-  
tur. Assimilat itaque Babylones Pardis, ac famelicis lu-  
pis, quōd festinent & urgeant ad deprędandā & per-  
dendam terram Iudę, ut iterum hac comparatione ter-  
reat, & ad emendationem sui, populum illectet.

C 5 Et

CAP. I. M. LVTH. IN HABACVC

Et equites eius a longe ueniunt, & aduolant, ueluti aquila ad cibū.

Omissa est in hoc textu particula, Sic enim debet legi. Equites eius expandunt se, & equites eius a longe ueniunt. Porro Propheta hic Babylonicum exercitum Iudæis ob oculos depingit, ac tali hypotyposi exprimit, quasi coram transeuntem cerneret. Sic enim apparet, dum exercitus a lōge aduenit, quod primum, pars quedam equitum uideatur, sed quo pergunt magis, hoc magis eorum numerus augetur & prodit, perinde quasi in ipso transitu multiplicarentur. Id uult quom ait Equites eius expandunt se, hoc est, transeundo magis magisque augetur, si quis eos aduenientes animaduertat, & quia a longe ueniunt, item exercitum apparere maiorem facit, dum enim in remotiore adhuc loco appropinquare conspiciuntur, apparet, quasi nullum sint habituri finem, sed semper adhuc in longinquo plures sint. Ita & instar aquile ad escam aduolant. Quo celere transitum & cursum tangit, sicut & uidetur ei, qui aduenientem exercitum considerat, maxime dum nouerit sibi illum paratum ludum. Tum enim quasi uolantes uidentur, qui citius quam sese armare queant, adueniant. Sic pingendi artifício Habacuc utitur, hostium enim transitum graphicè ob oculos ponit, ac iuxta ostendit, qui illi animati sint, quos impetit hostis, ut pote, quod uideatur nihil  
cis

ANNOTATIONES.

eis porro restare, quàm ut sese deuorari sinant, ut imbellis ac inermis aliqua præda, se aquilam deuorare sinat, quandoquidem, non sit quo reluctetur.

Videmus quàm proprie, quàm apposite dicere noverint Propheta, quàm breuiter ac simul tamen copiose rem aliquam explicent. Quod enim alius uel uo uerbo sic dixisset. Babylonij uenient & Hierosolyma deustabunt, id multis edisserit uerbis Habacuc, ac omnia proprie explanat, aptisque comparationibus exornat, perinde atque dum rudi uulgo prædicatur, opus est, ut illi depingatur, inculcetur, & quasi præmansum in os ingeratur, nihilque non tentetur, quo emolliiri possint. Ad huc tamen quantum potest, iuuat. Intelligenti uero illicet prædicatum est. Cōmoratur itaque in caedem re.

Veniunt ut solummodo temerè agant, ut uentus uehemens ab Oriente, feruntur.

Supra exposui, quid sit temeritas, in quem & hic modum accipienda est, Vult enim Propheta dicere Babylonios nullius rei causa uenire, quàm ut mœram exercant



Cap. I. M. LVTH. IN HABACVC

exerceant iniuriam. Cui neq; misericordiae, neq; iustitiae ullus respectus erit. tam etiam innocens, quam nocens dura perferre cogetur, id quod plerumque fit, in communi terra cuiusdam poena, ut innocentes segregari non possint, immo potius ante ceteros insontes puniantur. Atq; hic subindicat Habacuc, quam nihil iuris sit regi Babyloniorum, tum aduersus Iudeos, tum alias terras, quas desolat, quom ait. Tantum ut temere agant, uenient. Qui autem temere ac uiolenter agit, is neque iuste agit, neque iustam tuetur causam. Atq; hic profecto est titulus omnium plane imperiorum ac monarchiarum in terris, praecipue earum, quae bellis se erigunt quemadmodum & Psal. 75. eiusmodi, motus praedae adpellat, quare & ipsi tandem rursus uastantur, uti Babyloni & Romae contigit, ut adeo Augustinus bene pulchreque dicat. Quid aliud sunt ampla imperia, quam ingentes rapinae? Eorum nihilominus tamen temeritate utitur Deus, ut ea, quos uelit, puniat.

Ventus ille uehemens (Eurus) est qui ab Oriente spirat, quem Latina Biblia uentum urentem nominant, i. arefacientem & siccantem, qui & solis aestu nociuor esse potest. Quemadmodum e contrario, occiduus uetus (Zephyrus) humidus et frugifer est, qui ab Austro tempestatem ac procellas excitat. Qui ab Aquilone uero spirat, serenitatem parit ac nubila caeli dispellit, quisque pro sua natura. Quae ratione ergo uetus Orientalis arefacit, ac uim & succum terra, & ex ea germinantium,

## ANNOTATIONES.

minantium, aufert, Sic Babylonij omnia dea statumē  
aduenient, in omnibus terris. Et ut uentum illum urere  
tem nemo prohibere potest, sic nemo Babylonijs etiam  
resistere poterit. Horrendum propheta, exercitum ill  
lum longa sua pictura exhibet, si quomodo pertinaces  
Iudeos, uel mollire, uel terrere queat.

### Captiuos ceu arenam colliget.

Hoc est, Quos in terris passim coepit homines, tant  
inopes quam opulentos, citra ullum discrimen, immise  
ricorditer, permixtos ac indifferenter collectos abdu  
xit, perinde atque foenum, aut stipula colligari in cu  
mulum aut fascem solet. Hebraeis in more est, ut quom  
rei alicuius immensam copiam significare uelint, are  
nae comparent. Sic Gene. 22. Abrahami semē, ut stellas  
caeli, arenamq; maris, multiplicandum Deus promit  
tit. Itidem Iudic. 5. Tot erant Midianite in terra, ut are  
nae maris essent similes. &c. Hac ratione hic dicit, Col  
liget captiuos, ueluti arenam, id est immensam copiam.

Subfannabit reges, & principes deri  
debit, omnes munitiōes illi ludus erūt,  
congesto enim aggere capiet easdem.

Omnem consolationem & fiduciam adimit, ne quo  
humano auxilio niti queant Iudei, nam etsi reges, prin  
cipes, munita urbes, ut Ierusalem atq; Tyrus illi resi  
stant, maior tamen & fortior est Babyloniorum rex,  
quā

quàm ut ullius timeat repugnantiam. Nam adeo rebel-  
lantes uincere illi facile erit, ut derideat etiam si qui se  
se illi opponant. Neque ulla moenia, propugnaculaque  
defendunt. Nam ubi muros conquassare non poterit,  
tàm fastigiatos congeret aggeres, ut per murum tela  
in urbem traiciat, & cursum suum in eandem parietem.  
Quo præcipue Ierusalem, Propheta intelligit, quæ  
una confidebant Iudæi, quod adeo bene munita custo-  
diatæque erat, ut multa de eius obfirmatiõe, posteris tra-  
dita conspiciantur.

Tum innouabit animum, per-  
get, ac delinquet. Tum uictoria eius erit Dei eius.

Describit nunc, ut Babylonij uictoria sua, tum ad  
arrogantiam suam, tum ad blasphemiam Dei abusuri  
sint, quo tum delinquunt, ut & rursum illos Deus præ-  
cipitare & destruere tandem opus habeat. Nec enim  
ulli humani cordis uirium est, ut non extollatur, aut  
gloriètur, in scælici rerum successu, ut illud ne dum di-  
uina scriptura, ceterum & gentes è sui experientia  
testantur ac fatentur. Sic Poeta canit. Nescia mens  
hominum seruare modum rebus sublata secundis.  
E regione, neque in aduersis rebus continere se po-  
test, quoniam desperet, ac mergatur, Vtrinque nimis mol-  
lis & imbecillis est, multo tamen debilior ad ferendam  
bonam

## ANNOTATIONES.

Bonam fortunam quam aduersam, id quod uulgo iactata prouerbia testantur. Omnia perferre potest homo præterquam foelices dies. Et rursum. Fortes oportet esse pedes, qui meliores dies ferant. Quæ ipsa nos experientia docet. Cui nanque facultas, honor, & nihil non prosperitatis, pro uoto, contingunt, ille desistere non potest à dilapidatione, audacia, fastu, & rabiæ, donec aduersitas ab huiusmodi illum arceat, iuxta id quod aiunt uulgo. Res addunt animum, animus superbiam, superbia egestatem efficit, egestas uero dolorem adfert, dolor opes rursum queritat. Atq; hæc est mudi conditio, in ambitu, circuloque eius, & hæc hominum natura, quam nemo permutabit unquam.

Huius rei exemplum sume tristem colonorum seditionem. Triste nanque exemplum illud, in æterna usq; sæcula ad memoriam reuocandum, neque ulla unquam obliuione delendum est. Quom ex uoto rusticis omnia succederent, bone Deus, quanta confidentia, fastus, iactantia, pompa, & nulla non libido, atque arrogantia aderat? Nemo audiebat, nemo uidebat, nulla mensura aut moderatio, sed capite perumpendum, quicquid in animo proponebant, peragendum erat, neq; contineri nullius ratione habita, nec ab instituto semoueri poterant.

E diuerso, quam defessos, desperatos exanimatosq; id infortunij superiores reddidit, qui omnes ante leonum iræ sege-

Se gestabant corda, ibi nullus animus, nulla gloria, sola fuga uero, et desperatio. iam uero, dum in uersa toga, principes ac superiores quicumq; cæsis rusticis, uictoria potius sint. Rursus nullum medium, nulla moderatio utrinque est. Ignorant potestates, quo pacto cupiditatem suam explere ac recreare satis debeant. Coloni adeo exciderunt animo, ut nesciant quid faciendum sit. Faxit Deus ne inde sequatur deterius quo domini cū subditis unā intereant, ut & Babylonij ad ultimū accidit, ut posthac audiemus.

Quom enim rex cum populo suo, regno suo secundo dari uentos animaduertet, nec quenquam regū, principum, ciuitatum atq; terrarum sibi posse resistere, crescebat illis animus, innouabanturq; mente (ut hic Habacuc ait) hoc est tum primum alacriores & arrogantiores reddebantur, quā antea unquam fuerint, summæ illius optimæq; fortune causa. nec seruire modum, nec seipso agnoscere poterant, nec Deo totum referre acceptum, quom tamē uniuersa illa prosperitas nuda & immerita essent dona Dei. Quemadmodum hodie Principes nostri & Episcopi, Deo non referunt acceptum, quod permanserint, nec agnoscunt sese nec humiliant. Ceterum pergunt, inquit Habacuc & delinquant, hoc est pertranseunt, gloriatur, erectis cristis incedunt, quasi nunc tutissimi super omnes montes trāsiliissent, duobus arduis peccatis se in uos redadentes Deo, quæ crudeliter eos tādē precipitabunt.

Alicrum

ANNOTATIONES.

Alterum peccatum, est superbia illa, quam in miseris exercent mortalibus iamdiu uictis, tyrannidem cum ijsdem, pro omni concupiscentia agentes. Alterum est, blasphemia in Deum, quod Deo honorem non tribuentes, se tam iustos ac dignos coram Deo arbitrentur, contemnentes & calumniantes uictos, tanquam eos, qui a Deo condemnati & abiecti sint, taliq; demeruerint. Ibi tum recte impingunt, ac in Deum delinquit, ut ita tam Deum quam homines super se onerent, & utrisq; intollerabiles fiant, ac confestim pessum eant, pro quo sane plurima moluntur.

Primum peccatum, Arrogantia in mortalibus perpetrata, dolorem humano cordi adfert: Prophetas, ut alios Diuos, multo uehementius alterum peccatum cruciat, nempe blasphemia Dei. Quare demonstrat & explicat eosdem fusius, ijsq; respondet. Priores simpliciter communi uocabulo nominat, dicens: Per fastum suum delinquit. Alios uero amaris ac prae duris uerbis conuenit, inquit, Tum uictoriam eius, Dei sui uictoriam esse oportet. Hoc est, Non satis est fastui eius quod & superet & degraueat mortales. Ad haec idolo suo, quod Babyloni colebatur, honorem tribuere oportet, quasi ex eo tanta uirtus atque uictoria steterit. Nec uerum Hierosolymorum Deum tanta praestitisse, at potius, ceu multo imbecilliolem & uiliorem unam cum populo eius Iudaico, uictum, ac suo Babylonico idolo substratum oportuit. Ille enim est,

D CIIUS

cuius tanta uictoria, tantus triumphus esse ac dici eõne  
 niat. Quò ergo nunc Iudeorum Deus peruenit? quem  
 admodum 4. Reg. primarius regis pincerna, domi  
 num suum omneis in terra deos deuicisse cõfirmabat,  
 unde nec Iudeorum illi repugnare Deũ posse. Id uero  
 uehementer prophetas cruciat, q̄ nedum impij non a  
 gnoscant, undenam illis uictoria cõstet ac uirtus, uerũ  
 & sese in sua obthurent malicia, deũ uituperent libere  
 & secure, Satanae tribuẽtes, quod à deo susceperunt.  
 uirtũ suum, uirtutis loco, populũ dei, peccatorum uice  
 nefariorumq̄ collocãtes. Quare cũ hoc sese peccato,  
 ad finẽ usq̄ capituli huius macerat & adfligit, ut ad i  
 racundiam et impatientiam ferẽ prouocetur, quòd Ba  
 bylonij iustam habere causam, populus uero iniustam  
 debeant, quom hic aduersis quassentur rebus, illi uero  
 propitia fortuna perfruantur.

Hoc pacto, quem Iudei crucifixo Christo superio  
 res essent, gloriabantur, & blasphemabãt, dicentes: Si  
 filius dei est, liberet eũ, perinde ac deus ab eorum part  
 bus staret, ac omnino equã tuerentur causam, Chri  
 stus uero iniquam, illic uirtus et uictoria illorũ Dei il  
 lorũ fuit, hoc est, diaboli et idoli sui, nesciebãt. n. quòd  
 uerus deus Christũ adeo reliquerit, inq̄ eorum manus  
 tradiderit, ac iuxta Christum tamẽ diligeret, eis uero  
 succenseret, more omnium Tyrannorum, qui gratiam  
 Dei, pro externa sua foelicitate aut infœlicitate metiunt  
 tur. Sicut & Episcopi & Principeſ nostri faciunt, post  
 quam

ANNOTATIONES.

quam eis uictoriam in colonos dedit, quos, et iuxta ple-  
rosq; innocētes Christianos adfligere & maclare per-  
mittit, ac persequi, non secus cogitant, atq; causam se-  
am iustam esse, ac Deo bene gratā, audaces, temerarij.  
Deo se in hoc obsequium prestare credunt, nihil repu-  
tantes interim, & Deum suum & causam, planè dia-  
bolica esse, quom uideant sese fortunatos, Euangeli-  
on uero aduersitati obnoxium. Ignorant uero Christia-  
norum causam esse iustam, eosq; à Deo in manus suas  
traditos, quemadmodum CHRISTVS unà cum o-  
mnibus Sanctis, hostili manui subiecti sunt. Quocir-  
ca pergunt calumniari, in hanc sententiam erum-  
pentes: Vbi nunc tuus CHRISTVS? Sine, auxili-  
etur modo tibi. Tum potentiam & uictoriam illo-  
rum oportet esse Dei sui, ac se non iniquas fouere  
partes. Hæc uere Christiana crux est, ut nedum ad-  
uersa patiamur constanter, uerum etiam, iniquam nos  
tutari causam, adcoq; ut CHRISTVS, inter iniquos  
censeri, oporteat.

Atqui infelix eos exitus manet, & acidum omnino  
sinapi oritur, ubi mel suum totum seuerunt. Quom  
enim Deum non formident in iudicijs & operibus e-  
ius, nec sese humiliant, confidenter eos impingere sti-  
nt, ut fortunæ & uictoriæ satis abunde habeant, eos  
hoc pacto in prudentia & bona opinione sua ad stultit-  
tiam redigens, ut peccati sui mensuram compleant, se-

D 2 seq;



ſeq̄; obdurent, donec hora uenerit, qua aequè illis accidet, atque Babylonijs, Iudæis, & omnibus id genus Tyrannis. Nam ubi nunc ſunt, qui CHRISTO illudebant: Sperauit in Deum, liberet em nunc, ſi uult? Vbi Deus illorum, cui uictoriam referebant acceptam? CHRISTVS permansit, ipſi ut puluis agri, ſic diſperſi, & euanidi facti ſunt. Qua ex re, nos quoque conſolationem hodie recipere poſſumus. Nam & hora non longo poſt tempore aderit, qua de noſtris Tyrannis, Epiſcopis & Sacrificis dicitur: Vbi ſunt? Vbi nam Deus illorum nunc eſt? Vbi preçioſa iuſtaq̄; illorum cauſſa? Vbi Catholica eorum Eccleſia? Quò ſe nunc proripuerunt, qui dicebant: Sine, Euangelium tuum & Chriſtus tuus auxilietur tibi. Quòd uero iam triumphant, inſaniunt, audaces ac temerarij ſunt, ac uictoriam Deo ſuo tribuunt, id eò pertinet, ut alacriter impingentes, ſtulti, indurati fiant, adeoq̄; ad animaduersionem matureſcant, & tametsi eis prædicetur, haudquaquam tamen credant, ſed magis derideant, ne conuertantur, & ſalui fiant.

Sed tu domine deus meus, ſanctus meus, tu ab æterno es, ne mori nos ſinas, ceterum eum, o domine, animaduersionem tantummodo eſſe permittas, & o fortitudo noſtra, ipſum nos caſtigare, duntaxat concedas.

Peccatum

ANNOTATIONES.

Peccatum blasphemantium obiurgat hoc loci, eos  
 nanque reprehendit, suos uero consolatur, ac tantum  
 dicere uult. Quod Babylonij superiores sunt, & tri-  
 umphant, nos uero patimur & subiaccemus, non id in-  
 causa est, quod Babyloniorum Deus, uerus Deus exi-  
 stat, cui tantum potestatis imputant, nec quod ipsi bo-  
 ni & iusti, nos uero peccatores & iniusti simus. At  
 uero tu Domine es, qui facis hæc omnia, qui nos dere-  
 linquis, & illos exaltas. Tua sic uoluntas est, quod ipsi  
 dum nesciunt, aduersum te pugnant, quod tu illis im-  
 pertis, ut potentiam & uictoriam, suo idolo impu-  
 tant. Sunt autem due res, ob quas ita soleas facere.  
 Prior, quod eorum malitia, ceu uirga uteris, qua ele-  
 ctos tuos corrigas, ut Esaiæ. 10. Assur, inquit, uirga  
 mea. Et Apocal. 3. Quem amo, castigo. Posterior,  
 quod impingant, & super huiusmodi consilio tuo,  
 quod non nouerunt, stultescant, & postea intereant,  
 ut supra narratum est, & deinceps in. 3. Capite memo-  
 rabitur. Est enim uulgare uerbum, Postquam satis pu-  
 erum castigat parens, uirgam in ignem proiecit.

Orat ergo Propheta, ut Deus apud castigationem  
 illam permanere sinat, nec prorsum Iudaicam gētem  
 abolere uelit, unde in persona populi ait: Domine de-  
 us meus, sanctus meus. Nam nullus, usquam terrarum,  
 populus, uerum Deum norat aut colebat, præter so-  
 los Iudæos, unde & ipsi modo dicere potuerunt, Deus  
 meus. Vocat autem Deum, sanctum suum, ut solēt Pro-

phete, Deum, Sanctum Israel adpellare, Psalmo 89.  
 Dominus scutum nostrum, & Sanctus Israel rex no-  
 ster. Ita & in hoc loco, Deus meus, Sanctus meus. Idq;  
 ideo. Nam ipsi per Deum suum, aliudq; nihil, sancti  
 erant, ipso testate Leuit. Ego sum sanctificator ue-  
 ster. Quemadmodum & nos, per unum Christum,  
 aliudq; nihil, Christiani, hoc est, sancti reddimur, non  
 per nostra, uel opera, uel merita &c. Pergit uero,  
 Nonne ab eterno es Domine? Ac si dicat: O Domi-  
 ne, non est alius prater te Deum ueterem, uerum, eter-  
 num Deum, neque quisquam nouus fictus Deus est,  
 qualis erat Babylonorum, & qui in tempore adue-  
 runt, & inuenti sunt. Quo tum se ipsum, tum suos  
 consolatur, nec non confidenter Babylonicum ridet  
 Deum, quem tantopere extollunt Babyloni. Super-  
 bum enim animum efficit, si quis nouerit, ac certus fu-  
 erit, unum tantum esse Deum, eumq; Deum nostrum,  
 sanctum nostrum, qui nobiscum sentiat. Quid enim  
 tum uniuersi in terris dii nobis fecerint? Quom ergo  
 tu solus Deus noster ac Sanctus noster existas, nos ue-  
 ro populus tuus, quod cuncta in manu tua sint posita,  
 propitius nobis esse digneris, ne finis nos mori, aut  
 funditus per Babylonicos destrui, sed enim puniri et ca-  
 stigari, ut semen tamen populo tuo reliquum sit, ut  
 promissisti. Hec enim oratio, in Dei promissis funda-  
 tur, quibus addixit populo, sese non deserturum eos  
 omnino, tametsi non omnes conseruet. Roma. 10.

In Hebraeo

## ANNOTATIONES.

In Hebræo textus clarius sonat, quàm germanice reddi possit, in hunc modum: Nonne tu Domine à seculis es, Deus meus, sanctus meus, ne moriamur? Quo compendio se Propheta omnes promissiones completur, atq; miracula, quæ Iudaico populo obtigerant: Perinde quasi dicat: Nosti ne, aut recordaris ne, quòd promiseris nobis esse Deus noster, nec unquam hactenus perire nos permiseris? neq; iam nunc nos interire sinas. Tu enim Deus noster es, in quo uiuimus, & non morimur, ut promissisti. Quod sequitur, huic parti còiunctum est in Hebræo, ac item interrogatorio modo legi potest hoc pacto: Nõne sic est domine, quòd tu ab antiquis seculis deus meus et sanctus meus es, ne moriamur, sed eo pro punitione saltem uteris ò domine, & ad castigationem pones, ò fortitudo nostra? Interrogatorio modo ergo cum deo loquitur, num ita facturus sit, ac tantummodo correpturus. Non quòd ipse ea de re dubitet, uerũ ut ipse demonstrat, quomodo fides in tentatione se habeat, quòd ita infirma appareat, quasi nõ credat, ac ferè mergi ac hesitare uelit, à magna, qua premitur, infelicitate. Quanquam enim fides firma perseueret, fragorem tamen ædit, ac longe secus loquitur, dum in agone consistit, quàm dum superior facta est. Iam & arduum erat populo, ut crederet, se posse conseruari, in hoc Babylonicæ captiuitatis euentu, aut unquam restaurari, ac tale solam esse correptionem. Quare porro sequitur.

mūdi sunt oculi tui, ne malum uidere  
possis, ne ue ad iniquitatem respicias.

Quasi dicat, Esto quòd puri sint oculi tui, ut malum  
ferre nequeas, uti de te prædicatur, quòd iustus sis, nec  
illum malū impunitū sinas, qui sit, ut diuersum facias?  
Sed patiaris eiusmodi malum, nec tamen in illud ani-  
maduertas? In Ebræo ita sonat, si uerba inspexeris.  
Mundare oculis, uel sis planè mūdus oculis. Est q̄ ama-  
ra concessio in opere contrario, uti nos de quodā boni  
nominis, licet id factis parū testetur, dicere possemus,  
Assentior te bonū esse. Sed quid ita agis? Hoc ne boni  
uiri officium est? Ea ratione hic, Sanè tu domine iustus  
es, ita de te cōmunis fama pronūciat. At ubi nūc iustitia  
tua? Hisce uerbis indicat Habacuc, quales luctanti fi-  
dei cogitationes subrepant, quæ ueracem esse Deū sen-  
serit. At uero tam diu differt, conuiuens ad mala, ut in  
animo cogitare quisquam eum non esse iustum, queat,  
sed potius nefarijs oblectari hominibus. Velut & nos  
hodie cogitare possemus, Vbi Deus Euangelion nostrū  
adeo misere, persecutioni & calumnijs expositū lin-  
quit, ut tum iniuria, tum sectæ aduersus illud indies  
multiplicētur, ut uel sic dicere sanè ualeamus, Es qui-  
dem purus oculos, nec lubenter uolentiam & iniquita-  
tem respicias, Quādo uero uel opere hoc cōmonstras?  
Videtur nobis, q̄ nos iniustos, illos uero iustos ducas,  
quū tamē certi sumus nos esse iustos, illos nero iniustos.

Huiusmodi

ANNOTATIONES.

Huiusmodi infirmitatem aut tentationem fidei, non solum uulgus habuit. Sed ut alij propheta sic ipse habuit. Ieremias. 12. idem agit, inquit, Domine si te cum litigare uellem iustus es, At tamen de iure tecum mihi loquendum est. Qui fit ergo, ut impijs, adeo feliciter, cuncta succedant? omnes contemptores, tam prosperi sint? Plantaſti eos, & pulchre radicem diffundunt, pergunt & fertiles sunt, tu in ore eorum prope es, & longe à renibus eorum. Et Psal. 72. Penè in lubrico pedes mei uacillaſſent, & gressus mei ferè impigſſent, quom uiderem impijs ex ſententia rem succedere & c. Vehementer enim dolore adſicit, quòd tandiu iniuſti superiores ſint, ac uelut iniuſticia, ingens ius mereri debeant. Iniuſti uero ſua pietate, tanta mala conſequantur. At uero hoc totum ideo fit, ut illi fortiter impingant, noſtra uero fides, latius explicetur, fortis ac præ diues in Deo fiat, ut poſthac de rege Babylonis Habacuc etiam narrat; id quod & Psal. 72. adfirmat. Quod in ſublime tollat impijs Deus, quo in profundum præcipitet. Et Ieremia continuo prioribus ſubdit. Congrega inquit, eos, ccu oues ad lanienam, & appara ad diem occiſionis.

Quid ergo reſpicis ad cõtemptores, obticesque, quom impius deuorat iuſtiorẽ ſe?

Illic in certamine conſtituta fides, cum impiorum  
D. 5. foelicitate

Cap. I. M. LVTH. IN HABACVC

foelicitate luſtatur, quam & ordine recenſet. Ac ſi dicat. Credo & certus ſum, te unum eſſe Deum, impios que abſq; tua uoluntate nihil poſſe. Quare ergo illorum intuens ſcelera taces? utitur autem uehementibus uerbis, impios, contemptores uocans. Quo ἄθεοις, ſecuros, temerariosq; homines ſignificat, qui tum de uerbo, tum opere Dei, adeo nihil ſentiunt, ut nemo hominum, de quaquam re adeo nihil ſentire poſſit. Quos diuus Paulus Ephes. 4. ἀπειθήνοτας adp. illat, quod nos contemptores reddidimus, taléſq; , qui non ſolum contemnunt, ſed etiam negligunt, quaſi indignos habeant, quos contemnant, Ebraicie boged, quemadmodum & nos de Iudæis, ipſi uero de nobis ſentiunt, ubi alter de altero plane nihil tenet, ut & iam nunc impij aliquot, de Euangelio adeo nihil teneant, ut uideatur eis merus ludus, ac nihil certius habeant, quam ut nihil ſit. Huiusmodi homines, qui tam nihil neque perſentiſcunt, neq; curant, ueri bogdim & ἀπειθήνοτες contemptores, & quaſi ſenſibus deſtituti uocantur, ut ne tantillum uel guſtus, uel odoris apud illos permanſerit, ſed omnia in cordibus eorum euanuerint. De Dionyſio Tyranno tradunt Historici, quod ubi templo ſpogliato ſecundos nauigationi ſuæ uentos adipiſceretur, iſta Et abudus in hanc prorumpebat ſententiã. Ecce quã ſecundos ſtatus impertit ſacrilegis Deus? Niſi Chriſtiana obſtaret patientia, quomodo non hic, caro & ſanguis imprecarentur, ut decem capiti eius tonitrua

incipia

A. N. N. O. T. A. T. I. O. N. E. S.

inciderent, ac nouem passuum spacio, sub terram a-  
geretur? Huiusmodi nos audacem, qui nullo neque  
Deum, neque hominum respectu quiduis attentare au-  
det, qui non longo ab Hebræa uoce boged aut Vuoged  
interuallo distat, uocamus.

Deinde subindicat dolenter, Quod adeo temera-  
rios, malitiæq; deuotos non puniat Deus, sed penitus  
conticescat, ac ucluti hac illos tacendi ratione consor-  
tet, ac si nihil sit, ut ipsi sentiunt, Ac pariter eos negli-  
gat, ab istis antea neglectus, nihil sentiat, nihil curet,  
ut duo inter sese oppositi sint deuoti contemptores.

O quam non ferenda est illa Dei taciturnitas? quam in-  
tollebilis deuotorum sceleri hominum contemptus.  
Tales hic Babylonios commonstrat, quod tam causæ  
sue certi fuerint, ac deuoti, ut quiduis potius, quam q;  
Iudæos pro populo suo, se uero pro hostibus haberet  
Deus, crediderint. Ibi tum nihil certius erat, ac NOS  
Babylonij filij Dei sumus. Iudæi uero hostes illius sunt,  
adco meliore fortuna circumueniebantur, ut omnibus  
ex æquo impijs contingit. Porro neque hoc supra mo-  
dum arduum est, quod uates pro sese aliquis in fide lu-  
ctante cõstitutus sit. At ubi pro officij sui iure uniuersus  
illi populus, in non disimili pugna consolandus ac  
retinendus est, ibi tum adfluctio, ærumna & calamitas  
est. Illic trepidat populus, ut ex uniuerso cœtu uix duo  
aut tres cū eo credere aut colluctari debeāt, reliq; uero  
omnes in audacibus tyrānis, contēptoribusq; offendā-  
tur



Cap. I. M. L. V. T. H. I. N. H. A. B. A. C. U. C.

tur ac ita cogitent. Heu nihil nobiscum est, Deus aduersatur nobis. Non uides ut illos subleuet ac ferat, nos uero derelinquat & adspersetur? Tu quicquid uoles, cōcionare, Ego quid rei sit uideo. Ibi tum sit, q. cū Mo se prope algosum mare, & in monte Paran cum Core agebatur. Illic nulli admonitioni, nulli consilio relictus est locus. Quare hunc locum adeo ponderosis & copiosis uerbis Habacuc urget, ut populum uel sic animet atq. consolatur.

Postremo cōqueritur, quòd tantam impijs prosperitatem Deus largiatur, ut iustiores se deglutiant. hoc est, potissimum Iudeos, ac iuxta alias plerasq. regiones, quæ pietate Babylonijs maiores fuerunt. Sic enim fieri necessum est, ubi magnæ diuitiæ, ibi & magna scelerata, & iniquitas. Pecunia fures, fortuna scelestos parit, nam uti cōmemoratum est, Magna scœlicitas latu difficilis est. iam tollerabilius foret, si nefarij, non bonos, sed sceleratiores se, aut pari secū nequitia insignes deuoraret. Nunc uero sinit Deus ut optimos quosq. absorbeant, Rursum, facilius esset, si mali, punirent tantummodo bonos, aut parum damni darent. Id uero cōmiserandum est, quòd impij deuorent & absorbeant bonos, nihil relinquentes, sed omnia penitus deustantes, iuxta Psal. 79. Domine exederunt Iacob, & ciuitates eius desolauerunt. Ac super hæc omnia, iactari & cōmendari, uelint, quasi Deus cum illis sit, ac ipsi quæ optime rem expediuerint, ut in superioribus, amaris uerbis

ANNOTATIONES.

uerbis Habacuc recitat. Tum uictoriam eius oportet esse Dei eius. Ea demum uera filiorum Dei crux est, talem esse tribulationem eorum oportet, ut ueluti iniusti succumbant ac iuxta uideant hostes suos de se triumphum ducere, & ad hæc de deo gloriari. Id quod Christus Iohannis .16. prædixit. Venit hora, ut quicumque uos occiderit, arbitretur obsequium se præstare Deo. In hunc modum Christus in cruce tractabatur. Illic uero alta & profunda Dei sapientia abscondita est. Ibi in sanctis suis, immo & hostibus, admirandus conspicitur. Quæ omnia tum rationem, tum humani ingenij experientiam superant.

Relinquis homines, ueluti, pisces maris, ac ueluti uermiculos siue reptilia, quibus non est dominator.

Hæc luctantis adhuc fidei, De impiorum Babyloniorum fortuna, qua cæteris terris & populis noxijs sunt, Querimonia est. Qui uero piscium in mari transitus? duce, regimine, ordine, carent, aduersus quenquam tuendi sese, natant enim & hinc inde feruntur, qui capit, capit, qui prehensat, prehensat. Nemo est qui arceat aut defendat, ut eiusmodi pisces nihil aliud sint, quam postea ob oculos deuoratorum præda. Homines capiunt ac deuorant, maiores pisces & uiperæ deuorant, Aquilæ, Miluij & hoc genus aues deuorant, Castores, & alia id genus animantia deuorant.

rant miseros pisciculos. Cibus tantummodo sunt, tam  
 hominum, quam auium, bestiarum & belluarum.  
 Eiusmodi sinis omneis terras & populos Chaldaeis ef-  
 se, ut capiant, edant, ac deuorent duntaxat. Anne mole-  
 stū est, impuris, tā impijs, sceleratis, omnes puras &  
 pijs regiones ceu culinarios pisces, quos capiant, exen-  
 terent, uorent pro sua libidine, esse debere? quem ad-  
 modum & Paulus Gnomem Psalterij adducit. In dies  
 singulos propter te morimur, Aestimati sumus, sicut  
 oues quæ ad uictimam ducuntur. Alterum quod ait,  
 ueluti reptilia quibus non est dominator, idem est cum  
 priore. Non enim de reptilibus terræ, sed maris mi-  
 hi loqui uidetur. (Remes) nanque Hebræis est, quic-  
 quid reptat ac serpit, quod ego uermes dico, quanquam  
 angustior eius uocis natura sit, quàm ut illa complecti  
 queat, sed aliud nobis non est. Solemus enim dicere  
 go. Es krymmelt und uuyimmelt, reptat & uerminat.  
 Et Habacuc hæc addit ut ostendat, de quibus ipse pisa-  
 bus loquatur, puta de minoribus qui omneis miseri, et  
 ga suos deuoratores, uermiculi sunt. In expedito enim  
 hominibus sunt, adunca acus, plagæ, sagenæ, ham-  
 sportæ, nasæ, & nihil non uasorum, quibus capiunt,  
 dein & edant pisces, præterquam quos aues & ma-  
 res pisces, rostris & unguis suis rapiunt ac deuorant.  
 Hi omnes duce carent ac domino. Id est, non est inter  
 illos ordo, nesciunt, cui se credant, sed perpetuo hinc  
 inde errant, aliorum tantum præda ac alimonia.

ANNOTATIONES

Omnia trahit hamis, ac sagena sua  
capit, & plaga sua congregat.

E' Chaldaeis piscatores facit, quemadmodum ex  
Nimrod Moses uenatorem. Genesis. 10. Et uti recena  
sui, multiplicia sunt homini uasa, quibus deprehendat  
piscas. Sic & hoc loci regi Babylonis tribuit, non  
ineptum eum esse piscatorem, qui uaria sua potestate  
omnia ad sese attrahat, capiat ac colligat. Porro  
hami, sagena, retia nihil aliud sunt, quam ingentes ex  
exercitus sui copiae, quibus omneis sibi subiugauit terras  
ac totius mundi bona, aurea & argentea *νεμυλῶα* pe  
cunias, census, tributa ad se Babylonem contraxit, ut  
& uasa templi Hierosolymitani secum abduxerit.  
Quid enim aliud est, ubi tantus rex exercitum suum  
in terram aliquam ablegat, & capit, quam ut prom  
ptam pecuniam, aurea & argentea siue uasa siue or  
namenta, praeterea & homines rapiat, & secum ab  
ducatur, postremo, census ac tributa eius prouinciae re  
tineat. Idque piscatoris in morem, qui eiecto reti suo,  
quicquid coeperit attrahit ad sese & adseruat, quod  
non pessimum fuerit.

Propterea letatur & exultat.

Quam

Quam pertædet Prophetam, tantæ impiorum Chaldeorum fortuna, quippe qui ideo perfunduntur gaudio, ubi uniuersa terra suis cum incolis mœrent. Genio quidem indulgent nec pessime secum actum putant, ut eos tam fœlix rerum successus titillat, et ut bene habent, nec illis iuxta compertum est, quod interim eorum ratione ad lanienam Deus saginet. Atqui hoc totum et nostri causa posteris traditum est, ut tale, et hoc genus alia exempla, nobis esse debeant solamini, quom et nos impiorum prosperitatem uiderimus, ipsis uicissim gloriantibus et exultantibus de nostra calamitate, neque aliud cogitemus nobiscum, quam eos saginata esse pecora. Nam quæ ad saginam reposita sunt, abtilia, ea non oblectationis aut usus nomine, sed potius culinae, lanienæque gratia, fouentur. Quæ uero ad uoluptatem usum fructumque educantur, ea macilentia et cingula seruantur. Deus optimus, magni coci officio fungitur, cui magna culina sit, unde et grandia saginat animantia, hoc est, Reges, Principes, quos usque cõcurat, ut illis plusquam nimium, rei, honoris, uoluptatis, potestatisque, suppetat. Leticiam et choros ijs non adimit, uel supra ceruices et libetorũ suorum corpora. Quemadmodum et Herodis filia pro capite Iohannis saltabat, ac mundus gaudebat, iuxta uerbum Christi, Apostolis tristitia obruitis. Itidem regi Babylonio, populo que eius, summo

## ANNOTATIONES.

summo gaudio fuit, maxime Iudeis uictis, qui sic pas-  
sim cantati erant, quod Dei sui nomine insuperabiles  
essent. Vnde & atrocius, quam alijs, cum illis egit.

Ideoque offeret sagenæ suæ,  
adolebit incensum reti suo,  
per illa enim, tum portionis  
suæ pinguedinem, tum cibi  
sui copiam adeptus est.

In superioribus retulit, Tumq; uictoria eius, Dei  
eius erit. Id est, idolo suo Belo & Nebo (his enim uo-  
cibus Deum Babyloniorum Isaias. 46. exprimit) nec  
uero Deo Hierosolymis commoranti, honorem re-  
fert acceptum. Hic uero inquit, quod sagenæ suæ im-  
molet. Et reti suo incensum adoleat. Quom tamen pau-  
lo ante demonstrauerimus, sagenam & rete eius ali-  
ud esse nihil, quam exercitus sui uirtutem. Qua uia  
itaque illis ipsis offert, & Deo tamen suo pariter ho-  
norem acceptum refert? Respondeo. Adco in Chal-  
daeos excanduit uates, ut pro magnitudine zeli, quo  
in Deum & populum eius ferebatur, Regi Babyloni,  
genti eius Deo & religioni, posticis sannis occurre-  
ret. Perinde ac si dicat, Cui thura datis, cui sacra faci-  
tis? Nullus tamen Deus adest, Nec idolum quicquam  
est, uti Paulus. 1. Corinthio. x. refert. Et ego, cui nam  
hec & oblationes & thymiamatum incensa fiant, ci-  
E trasudo

tra sudorem dicam, scilicet sagene, adeoque potentie uestrae. Qui enim de re aliqua gloriatur & exultat, quales in tali fortuna uos apparetis, nec uero Deo, more uestro, gratias agit, is seipsum Deum facit, sibi ipsi gloriam uendicat, nec in Deo, ceterum in sua tum uirtute, tum operibus, letatur. Quapropter, & si ore Deum quidem nominetis, manu uero Idolis thurificetis & litetis, nihil tamen in imo cordis uestri, hoc est. Verum de uobis ipsi magnificatentitis, atque uobis placetis, quod tanta possitis, quae & ex merito, uos iuste adsequutos arbitramini. Quare & sagena uestra, uires & potentia uestra, immo & Deus uester est, cui immolatis & adoleitis incensum. Vestris namque uiribus nitimini, de ijs gloriamini, minutamini, & gaudetis. Si enim ille desint uobis, Idolum uestrum parum uobis siue leticie, siue opis tribuerit. In eum modum Esaias tertio capite loquitur. Adorant, inquit opus manuum suarum, & opus quod digiti illorum fecerunt. Et Actorum septimo cap. Stephanus ait. Letabantur in operibus manuum suarum. Nam quod cuiquam uoluptati est, & quo quis fidit, id illi Deus est. Quandoquidem nemine praeterquam uno Deo fidendum sit, neque aliqua de re, quam Deo, gaudendum. Impij uero, ex operibus & potentia sua, quae illorum Deus est, consolatione recipiunt, nec enim aliud possunt.

## ANNOTATIONES.

Vult ergo tantū propheta dicere. Quam egregiā  
Deum habetis. Sagena, id est, propria potestas uestra,  
uobis Dei loco colitur, licet à Deo nostro eadem uobis  
obtigerit. Præterea & in eam blasphemā diuinus ua-  
tes inuehitur, Quod gloriam Deo non tribuant, unde  
& apud Deum, ob ingentem illam ingratitude[m] &  
peruersum, uitioque dandum cultum, diem eis dicit.  
Perinde quasi dicat. Hic est fructus patientie tue, qua  
ultionem differendo, fortunam illorum amplias, ut ne  
dum homines supprimant, uerum & te ipsum impete-  
re non uereantur, gloriamq; tuam, reti potentie sue,  
quam à te receperunt, referant acceptam. Id in caussa  
est, quod pars eius habitior inde facta sit, & tibus eius  
uberius. Hoc est, tanta potestate, tantum adeptus est re-  
gnum, tantaq; bona. Hinc bene saginatus est. At bene  
saginatū esse, Idololatriam parit Mose in hymno suo  
confirmante. Impinguatus, incrassatus, dilatatus est, un-  
de recalcitrauit. Geminus ille Dei cultus, Immolare, a-  
dolere incensum, in per frequenti Scripturae usu est. e-  
Mosi lege promanans. Num uero & Babylonijs ca-  
dem cultura ratio fuerit, Vel, an ne Propheta hisce uo-  
cibus, illorum uoluerit significare cultum, suo cuiusq;  
arbitrio relinquo. quandoquidem non multum in co-  
situm sit.

Quam ob causam adhuc adsiduo  
expandit rete suum neq; unquam a mor-  
talium cæde sibi temperabit.

E 2 Cresc.



Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit, ut adeo non saturatur, imò potius amplectur nummis auaritia. Eiusdem conditionis sunt, quæcunq; delitæ mortalium scelerate delitæ. Quo quisquam maiore honore præditus est, eo maioribus ornatum secipit. Quo pluribus quisquam terris populisq; dominatur, hoc ad dilatandos regni sui fines cupidior est. De Alexandro Magno Græci Historici ita memorie prodiderunt, Quod dominandi eius libido, non satiabatur uno dumtaxat mundo. Eadem ratione & Habacuc irrestinguibilis habendi sitis regem Babyloniorum arguit. Nempe quod suo non contentus sit, sed etiam si fors eius pinguis sit, adhuc tamen rete suam sine contaxione expandat, ut regni sui fines augustiores reddat. Atq; hoc ipsum, homines interficere uocat. Nam & terras & populos consequi, secus fieri non potest, quàm cæde hominum. Id uero latrocinantia auaritia parum curæ est, modo ditescat & impinguetur. Hoc loci uides ipse, ut retis nomine, potestas eius accipienda sit, qua homines cum trucidat, tum bona illorum sibi spoliat.

## CAPVT SECVNDVM.

Hic super custodiam meam  
sto, & super munitionem  
consisto, uideoque & cons

templor

ANNOTATIONES.

templor, quid dicatur mihi, & quid respondeam increpanti me.

**A**ppetit hic, & iustum exordium sumit id, de quo supra dixi. nempe, Quod non pro sua solū persona, in agone fidei, aduersus Babyloniorum fortunam, Propheta constitit, uerum contra populi sui, cui uerbum nunciat; incredulitatem illi etiam decertandum est, ut eos consoletur & confortet. Quare prius quā aduersus Babylonios uaticinetur, uenturaq; ipsis mala prædicet, infidelis eius populus accusandus est, ut in sua sibi concione auscultantem eum detineat. Ut si nunc minister uerbi, de imminente, siue presenti malo uerba faceret, & populus desperare & cursitare inciperet, quasi nihil spei reliquum foret: illum profecto animatum esse oportebit, ut officium suum commendet, Ecclesiam admoncat, ut perseuerantes ad usque finem, rei tandem euentum accipiant, & quo modo Deus tantum uindicaturus mali sit, eos que erepturus. Itidem hic Habacuco agendum est, eorum causa, qui Babylonicam tyrannidem, cuius mentionem fecerat, suo uite cursu experiri cogerentur, ne desponderent animū, quasi omnis sit spes abolita. Erat enim diuinitus promissum populo, uenturum olim Christum, regnumq; magnificentissimum.

E 3 Hieroso

Hierosolymis inchoaturum. de hoc quidem persuasi erant, ut & idem obseruarent. Hinc ea opinione ducebantur, ut Hierosolyma uel præ uniuerso mundo perduratura, seq; in ea terra mansuros perpetuo crederent. ut adeo uaticinio Habacuci, de Babylónico aduentu fidem non possent facere. Vbi uero aduentarent, & re ipsa prophetiam experiebantur, nimium tum faciebant fidem, usque adeo, ut futurum Christi regnum in dubium uocarent, quom non adueniret Hierusalem in suo uigore persistente, ipsiq; in ea adhuc terra degentibus. Videor mihi uidere, hæc, horum que similia conuitia per ora uoluisse omnium. Quo se nunc propriucre propheta illi, qui Christum nobis futurum predicabant? quàm egregie nobis imposuerunt? Age credat. qui uolet, uenturum ipsum. Ecqui ueniret? Hierosolymæ in cinerem redactæ sunt, nos in alienam terram abducti sumus. Apage cum istis in uniuersum Prophetis. nihil planè nisi spermologi estis, & terras & indigenas fallentes.

Eiusmodi Rationis indoles est, ubi alia uia, quàm ipsa præ se tulerat, uerbum suum adimpleat Deus. Perpetuo nanque Deo, modum, tempus, uiam designare cogitat, quibus promissa sua exhibeat, aut nolit ei porrò adhibere fidem. Iam Deus non potest secus, quàm ut uerbum suum mirandum in modum, longèque aliter ac nos cogitamus, compleat. Hinc usuuenit. ut nullo unquam tempore fides Deo fiat. Si mi-

natur,

ANNOTATIONES.

natur, secundæ res nos impediunt, & abscondio futuri mali, ne minis eius credamus. Si gratiam promittit, præsens nos arcet infortunium, & quod futuram gratiam nondum persensimus, facit ne promissis eius credamus. Ibi primum exurgit uatibus, ut maximo labore erga desperandum, & incredulum populum occupentur. Quo pacto enim promissum CHRISTI regnum stultius & mirabilius auspiciari potuit Deus, quam quod Hierosolymam, ubi uigere debebat, uastari sineret per impios persecutores? Et, quod populum suum peculiarem ab hostibus eius captiuum abduci permetteret. Quomodo credere poterant, Hierosolymam in cinerem redactam, & iuxta tamen amplissimum regnum fore? Rationem hic mergi & desperare opus esset. Qui non desperat, illum supra omnem sensum, tum rationem, in solo uerbo Dei uirari & herere operæpretium est, ut nouam conspiciat Hierosolymam, quæ tum nusquam tamen appareat, ut quæ prorsus inuisibilem Hierosolymam, certam habeat, ueluti ob oculos positam, quom tamen uisibilis, in fauillam ante conspectum eius redacta iacebat. Cuius rei aptissimum exemplum est cernere Hieremie trigesimo secundo capite. ubi Propheta impendio obstupescit, Qua nam uia coram Deo fieri possit, ut Hierosolyma simul uastata esset, & iuxta repararetur tamen,

ut in ea, emptiones & negotiationes sint. Recita idem Caput, huc enim, uti uerum scholion, apposite quadrat.

Habacuc nanq; idem hic facit, ut uastationem nunciet, & rursus promittat. Omnes de Christo prophetias, adimpletas oportet, aduersus & supra omnem sensum & Rationem. Ideo nunc ait, Hic super custodiam meam consisto, superq; munitionem figo gradum. Militis personam gerit, qui defendendi sui gratia in speculam concedit. Ad quem uero attinent huiusmodi expectatio & uigilia? Aduersus quem pugnat? Aduersus incredulitatem & impatientiam populi. Ac si dicat, Murmuratis, iniquo animo fertis, multos alios item incredulos constituitis, ut neq; mihi nec ulli Prophetarum credant, sed desperent de promisso Christo. Esto. Propterea ego non desistam, sed me instrua, & armabo in uos, eoq; magis predicabo, si uel aliqui in fide seruari possint. Itaq; sto, ueluti qui in munita specula, & custodia consistit & pugnat. Sic & ego excubias cano, & fortiter et acriter pro infirmis in fide dimico, aduersum uos incredulos & desperatos. Et ita sto, ut uos me prosternere non possitis, Consisto enim super munitionem. id est, uerbum dei a mea parte stat, quo confido, & cui credo, unde et loquor & alijs predicor. Talia (ut dixi) summe necessaria sunt, si quando populus animo exciderit, ut tum Propheta firmus in uerbo suo consistat, nec cedat, nec uacillet, neq; infortunij,

ANNOTATIONES.

fortunij, nec incredulitatis, nec murmurationis, nec blasphemiarum in populo, nomine. Vbi enim ille nuda uerit & ceserit, qui uerbi & consolationis dux et adseruator esse debeat, tum actum est, uexillum succumbit, & uigil interemptus est. Sin constiterit, aliqui tamen permanent adherentes, qui obseruant illum.

Contemplor, inquit, quid mihi dicatur, & quid respondeam ei qui me increpat. Hoc est, expecto, quomodo imminentibus mihi ab incredulis & blasphemis, insultibus responsurus sim, qui & peruertunt & deterrent infirmos, meq; una cum omnibus Prophetis arguunt, ueluti mendaces, uerbo dei alium habere successum quam ipsi apud sese decreuerant in animo. Nisi enim responderem illis, ac in eos predicarem, ceterum tacitus eorum probra perferrem, uniuersum populum tandem a uerbo dei scuocarent, ut nemo deinceps futurum Christi regnum prestolaretur, sed omnes de eo desperarent. Quare officium meum non indiligenter administro, custodiamq; quemcunque potero. Atq; hic uides, ut omnium Prophetarum labor & summa cura in hoc steterit, ut populum in fide uenturi Christi retineret, quæ et uerbo in Christu fixerunt, ut æque in ipsum crederent, atque nos in eo heremus, & in eum credimus. Qua de re neque uates ille uituperationem & blasphemiam perfert, quom tamen æquo animo ignominiam & calumniam pro Christo ferre debeamus. Quantum enim ad nostram personam attinet, perpeti

E 5 debemus.

debemus. At ubi doctrinam concernit, eam defensam satis & excusatam esse, conemur, æque ac Christus Ioannis octauo, ante pontificem Hannam fecit. Nam qui doctrinam & uerbum in blasphemia & uituperatione succumbere sinit, quom tamen id prohibere possit, is opẽ fert, ut infirmi ad incredulitatem precipitentur. Quam ob causam incessanter excubie sũt agenda, semper docendũ, admonendum, corripiendũ, prædicandum, urgendũ, ut electi conseruetur. Qui uero non credunt, nisi fiant, post alteram & tertiam admonitionem, iuxta Pauli doctrinam Tit. 3.

Particula illa (quid dicatur mihi) fortassis ita intelligi posset. Contemplabor, quid mihi dominus dicturus sit, quom in Hebræo sonet, quid in me dicetur, ut hæc portio, de uerbo Dei, altera subinde sequens de Calumniatorum uerbo intelligenda esset. Atqui arbitror, utramq; de calumniatoribus intelligendam, qui in Habacuc loquuntur & uituperant, hoc est, in ipsum & doctrinã eius loquuntur arguuntq; mendacij. Quæ ad dum & Zach. 3. proditum est memoriæ. Dominus increpet in te Satan, hoc est, Dominus tibi obijcere se uoluit, institutum tuum incidere, teq; cohibere. Quom enim Habacuc excubias agat, super speculam & munitionem constitutus, iam ante uerbum dei habet, super quod stet, & quom circũspiciat & contempletur, quid illi obijciatur, facile obseruatur, huiusmodi uisum & respectum in homines ordinatũ esse, qui illi sese calumnijs

## ANNOTATIONES.

inimicis opponunt. Ac ideo consistat ac respiciat, ut infirmos consoletur & retineat aduersus opponentium sese calumnias. Ergo & Verbum dei sequitur, quod tum infirmis, tum Calumniatoribus proponat, dum inquit.

Dominus autem respondit mihi & dixit. Scribe uisionem hanc, & depinge graphice in tabulam, ut legere queat quisquis præcurrit.

Dei nomen induci, ad terrendum uituperatores suos, & ad confortandum infirmos, ut quod non ipse, cæterum Deus dicat & præcipiat fieri. Quo loco obseruandum est, quom diuinis rebus, usq; mirabilem adeo successum uideamus, oportere hominem, proorsus omni intellectu & ratione missis factis, uno nudoq; uerbo Dei adherere, alioqui quicquid orsus fuerit Deus, illi nugæ & stultia uidentur. 1. Corinth. 2. Porro & externum pariter symbolū uerbo solet addere deus, quæ admodum literæ sigillo obsignari solent, quo literis fides fit & confirmatur. Sic ieremias ligneam ceruicibus suis circumductam, cathenam gerebat, iuxta uerbū dum omnium terrarum captiuitatem nunciaret, à Rege Babylonico Israeli obuenturam. Ierem. 28. Isaiæ præterea nudo incedendum erat, dum Aegypti dcprædationem prædicaret. Rursum Ieremiam ab amicis suis agrum comparare oportuit ad uerbum, quo reedificandam



dificandam Hierusalem uaticinabatur. Et hoc genus nō pauca in plerisque Bibliorum locis occurrunt, ut & in nouo Testamento iuxta Euangelium Baptismus & Sacramentum, ceu externa signa instituta sunt. Neq; diuersum hic Habacuc ex diuino iussu facit, iuxta uerbū quo promissi Christi & Regni eius aduentum annunciat, & restorationem Hierosolymorum, externum signum siue gestum addit, dum tabulam prehensam scribit, significantibus maioribusq; notis, quid ea ipsa planē uerba, Quomodo uaticinia de Christo certa & indubitata uentura sint, nihil officiente rege Babylonio, etiam si in cinerem Hierosolyma redigat, populumq; secum abducatur captiuum. Quam tabulam in publico aliquo loco fixam oportuit, ceu templo aut foro, ut qui uis & uidere & legere potuerit. Qua simul calumniantium ori pessulum est obditum, & infirmi in fide, quantum fieri potuit, conseruati sunt.

Id ergo est quod dixit. Scribe uisionem & explica in tabula, Qualem uisionem, nedum quam Habacuc uidit, Sed omnium planē, qui de Christo uaticinati sunt Prophetarum. Siquidem in Hebræo idiomate prophetie uisiones dicuntur, Prophetæ uero uidentes aut contemplantes, id quod primo Regum quinto textus palā indicat. Ita Gabriel Danielis nono inquit, ut impleatur uisio & prophetia. Ac si dicat. Omnium Prophetarum uisiones & prophetie in Christum uergunt, quare ubi Christus aduenerit, uisio adimpletur. Ex quibus non

ANNOTATIONES.

bus non obscure animaduvertere licet coram uulgo quã  
uis prophetiam, communi nomine, uisionem adpellatã  
fuisse. Tantum ergo in se continet, quod Habacuc mo  
do ait, Sume tabulam, & scribe super illam, uisionem,  
hoc est, scribe super eam de Christo quoddam uaticini  
um, & quid de eo sentiendum sit (dum adeo despon  
dent animum atq; desperant Iudæi, & secum & cum  
Prophetijs actum esse arbitantes) explana. Neq; ue  
ro uisionem, hoc est, omnia omnium uatum de Christo  
oracula, scribere super eam potuisse, cogitandum est,  
alioqui magnam fuisse operæ foret præcium, præsertim  
dum tam crassis pingere debet characteribus, ut & in  
cursu quisquam legere possit. Enimuero id, uisionem  
scribere, nominat, ut quicquam scribatur, quid nam ea  
de re sentiendum sit, puta ea, quæ sequuntur uerbã. Et  
quod depingere aut explanare uel explicare debet, ni  
hil aliud est, quàm q; significanter, clare, literis maiori  
bus extrare debeat, tamq; clare & crasse, ut nõ sit o  
pus ob illam stare, obtutuq; in ea diu herere, numeran  
do ita colligendoq; literas, ut fit in parua abbreviatãq;  
scriptura, uerum ut omnino grandiuscule notæ sint, ut  
certo, uelut in momento & uideri & legi queant, ac  
ueluti in cursu penitus deprehendi, sic tamen, ne cursu  
festinetur, sed quod inter currendum elementa possint  
agnosci. Tam præpeti enim cursu quis ferri queat, ut  
etiam si pilarum templi magnitudinem præ se ferrent  
literæ, nec sic tamen cognoscat.

In hoc

In hoc modo Propheta laborat, & in id totus incūbit, ut certo & planè uideatur & legatur, atq; id uult, quom ait. Et explana, hoc est, clarum fiat, crasum, uisui & intellectui satis expositum. Quo significare uult. Quod, quemadmodum tabula manifeste certo & expresse uidetur & legitur, ceu ea, que à celeriter præteruolante cognoscatur, eadem ratione indubitatum esse debeat, uenturum esse Christum, perinde atq; Prophetarum tum uisiones, tum uerba de eo sentiunt & prædicant, ut non nimium à uastatione Hierosolymorum, suiq; captiuitate, quã à Rege Babylonis passuri sint, pauesiant.

In hunc modum. Visio suo tempore ueniet, et libere tãdem aget, nec uenire negliget. Sin differet aduentum, expecta illam, certissime ueniet, nec moras necet. Qui uero aduersum hoc pugnat, illius animæ nihil feliciter succedet. Iustus enim ex fide sua uitam ducit.

Vident textum, qui clarissime & apertissime in tabulam exaratus erat: id enim est, quod de uisione scribere debuit. Nos q; uidemus, quàm sint uerba consolationis plena, adeoq; promissiones, de futura omnium prophetiarum, in Christo, adimplerione. Quo simul fides in futurum Christum suffulta est, pr. euentumq; ne mendacij in prophetis suis arguatur Deus, tãquam promissio  
sua nulla

ANNOTATIONES.

sua nulla sit. Nam & si Hierosolyma dirueretur, & Is-  
 rael captiuus abduceretur, Regnum tamē Iuda in uer-  
 bo Dei comprehensum permanebat, aderantq; prophe-  
 te, qui populum sustentarent & inhortarentur ut sta-  
 tuto tempore, pœnam nō iniquo animo ferrent. Quod  
 in nouissima Hierosolymorū deuastatiōe à Romanis fa-  
 cta Iudeis nō contigit, quā etiamsi uicē abacti sunt &  
 extorres facti, nullus tamen eis Propheta est, qui eos  
 consoletur & sustentet ad prædefinitum usq; tempus  
 perferendi pœnam illam. Nec Regnum illorum in uer-  
 bum conclusum est, uerum omnino destitutum & pro-  
 phetijs, & regijs personis. Quod in Babylonica uasta-  
 tione non contingebat.

Dicit itaq; Prophetia siue Visio de futuro Christo  
 & regno eius, non intercidit, etiamsi ad statutum usq;  
 tempus desolemur. Ceterum adhuc fixa & incon-  
 cussa similiter cōsistit, atq; de ea Prophetæ loquuti sūt  
 Definitum uero tēpus habet, quod nemo nouit, sed so-  
 li Deo a seruatum est. Quæ ubi suo tempore aduene-  
 rit, libere aget, nec fallit. Quod ego uerti, nō admittet  
 quin ueniat. Hoc ipsum enim uult, ubi inquit, cam non  
 fore mendacem aut falsam. Et liberam illam actionem  
 nihil aliud pulat, q̄ quod Psal. 11. qui eodem uerbo uti-  
 tur, dum inquit. Erigam salutare, quod libere in ea re  
 aget. Quod totum ualet. Vbi completæ de Christo pro-  
 phetie fuerint, libere tum prodibit & erumpet, quod  
 iam delitescit, ut in uniuerso terrarum orbe de eo  
 prædicetur,

prædicetur, & undique de eo uerba fiant, ut & nemo impedire possit, etiamsi ipsæ inferorum portæ sese opponant. Hæc enim natura est Hebrææ huius uocis, iaphæah, ut significet, libero ore proferre sermonem, ac aperte & confidenter quapiam de re dicere, nullius habito respectu, perinde ut Lucas de Paulo, Apolline, & alijs scribit, quod cum alacritate & confidentialibere de Christo loquebantur.

Post hæc infirmos adhortatur Habacuc, qui egre promissioni huic fidem faciunt. Audimus quidem, possent dicere, suo eum tempore uenturum, At quando tandem tempus illud aderit? Nimum certe comperendatur, perpetuo suspensi animos tenemur, dum dicitur nobis, ut & Esaias. 28. ait. Expecta modo, expecta modicum hic, & rursus modicum. Hic præcipitur, & illic rursus præcipitur. Ecquando tamen somel fiet? Video equidem, ubi diu audiuerimus & expectauerimus, quod tandem interimus & uastamur. Ad hæc, idq; genus similia uerba (qualia non pauca ab incredulis aut in fide imbecillioribus, audire Prophetas necessum est) Habacuc nunc respondet dicens. Esto & si moram aliquanto neccat, expecta illum, certissime ueniet, nec diu aduentum suum differet. Porro intra tales promissiones & admonitiones minatur etiam ut nullam non uiam inquirat, in fide eos erigendi & seruandi. Nec enim plures uie reperiri possunt, quæ ad fidei confirmationem faciant, quàm tria super hæc  
tabulant

ANNOTATIONES.

tabulam scripta, quæ sunt, promittere, hortari, minari. Quæ si non iuuant, nihil aliud proderit. Minari non inepto sanè ordine postremum est, promittere uero primum. Nam ubi bona promissa fuerint, & subinde obsecrationes & adhortationes, dimittendus deus est, quisquis permanere noluerit, & ultimæ ualedictionis loco minæ intentandæ sunt. uti ad immorigeros dei consuetum est. Agedum institutum tuum exequere, inuenies tandem optime, quid feceris. Atq; hæc est uera, diuina genuinâq; docendi ratio. Quæ tria Christus etiâ cum Apostolis, item ut Moses & omnes Prophetæ, obseruauit.

Minæ uero sunt hæc. Qui uero repugnauerit illi, eius animæ nihil prosperi obueniet. Hebræa uox uophla, quam Latini contentionem & pertinaciam uocant, nos renisum dicimus, ut peruicaces uerbo Dei sese opponunt, neque cuiusquam dicto obaudiunt. Quales D. Paulus ad Romano. 2. contentiosos appellat, dum inquit. Qui contentiosi sunt, nec ueritati obtemperant, obtemperant autem iniquitati. &c.

Quibus æque nobis eos indicat, quos Habacuc uoce Uphla hic intelligit, Semper aliquid offendunt, quo uerbo Dei occurrant, ut omnino credere eos non oporteat, Exosa profecto gens cui neque promissiones, nec admonitiones, nec minæ curæ sunt. Iam quid inde illis lucelli emergat non reticet Habacuc. Nihil, inquit, fortunati animæ eius obueniet. Quibus & Isaia

**E** minatur.

minatur. Nisi credideritis, non permanebitis. Et Mo-  
se in plerisque locis, nullam illis prosperam fortunam in-  
terminatur, si Deo non obedierint, uti & contigit, &  
nunquam non accidit, Christo ipso confirmante, Qui  
non crediderit, condemnabitur. Quomodo enim illi  
pro animi sententia res succedere possunt, qui cum  
Deo bellum gerit, nec fidelem, nec ueracem illum re-  
putans? Nigrum Thita (quod aunt) præfigit Deo,  
& illi rursum à Deo Thita præfigitur. Quod si pau-  
xillum temporis bene habeat, maius illi malum est. de-  
teriorq; damnatio.

Postremo, Tabule Scripturam, principe dicto  
concludit Habacuc. Nam iustus ex fide sua uiuit.  
Hoc est, si quis iustus esse & uiuere uelit, peropus  
est, ut promissionibus credat. Sic ratum & fir-  
mum est, nec aliud hic requiritur. Econtrario Im-  
pius in incredulitate sua moritur, Ita hoc loco si per-  
manere & conseruari uobis animo sedet necessari-  
um est, ut Scripturæ Tabulæ fidem habeatis, nem-  
pe, quod CHRISTVS uenturus sit tandem  
unâ cum regno suo, qui uos errore non sinat inuol-  
ui, ut in speciem longe secus uos respiciat res, quom-  
deuastamini. Hec enim insita uerbi Dei indoles est,  
ut altiora & impertinentiora præ se ferat, quam uni-  
uersi uel sensus, uel ratio capere, & omnis experi-  
entia sentire, queant. Videtis & sentitis regni ue-  
stri desolationem, unde uobis per fidem ultra quam  
sentitis

ANNOTATIONES

sentitis penetrandum est, & certos uos esse in media  
desolatione oportet, quod regnum uestrum tum uen-  
turum, tum magnifice restaurandum sit. Non ob-  
scure hic uidere licet, quam Prophetæ fidem in  
CHRISTVM prædicarint & æque urserint,  
atque nos in Nouo Testamento. Et quanta fiducia  
Habacuc omnia omnium opera damnare audeat, u-  
nique fidei uitam imputare. Nam simpliciter ait, In-  
credulo nihil fortunati accidet. Sine itaque orare ho-  
minem, & adusque mortem operando sese macera-  
re, opera enim eius hic prorsum iudicata sunt, quod  
nullius ualoris, nullarum uirium sint, nec debeant  
etiam iuuare. Nā iustus, absque operibus, sua fide ui-  
tam transiget.

Diuus Paulus hunc locum Roman. 2. proprie ad-  
ducit. Est enim cōmunis sententia de omnibus Dei elo-  
quijs, quòd illis sit habenda fides, siue in principio, si-  
ue in medio, siue in fine seculi dicantur. Quemadmo-  
dum Epist. ad Hebr. eos. 11. numerosa fidei exempla à  
condito usque mundo recenset, ac ad omnes scripturæ  
locos, hunc etiam peculiariter recitat. quem Habacuc  
pro confirmatione scripturæ in tabula aduocat, Pau-  
lus, ad habendam Euangelio fidem acerfit. Mose Ge-  
nesis. 15. alijs uerbis eandem planè sententiam habet,  
ubi inquit. Credidit Abraham Deo, & id reputatum  
est illi pro iusticia, Quid aliud hoc sonat, quàm Abra-  
ham ex fide sua, iusti in morem uixit? Quod Iudaica-



rum obiectionum caussa dico, quarum aliqui studiosi, Paulum, ut sunt prudentes, iudicare uolunt, quasi ini- que, & uiolenter Habacucum acer siuerit in testem, et potius torserit Paulus ad suam mētem, quandoquidem illic de tabula sua, non de Euangelio loquatur Habacuc, tametsi & hæc de Euangelio, tabula item differat, licet futuro suo tempore, Paulus uero non de tabula, sed de presenti Euangelio disputet. Attamen adhuc idem est Euangelion tam quod futurū erat, quàm quod nunc exhibitum est, et passim hodie uernat, quemadmodum idem Christus heri, hodie & in secula. Hebr. e. 13. Nisi quod alia ratione annunciantur, ante & post aduentum suum, in eo uero nihil situm est. Aeq; enim eadem fides & idem spiritus est, qui in eum credit.

Id uero subtilius est, ubi nugantur q; D. Paulus non proprie interpretatus sit Habacucū. Caussantur enim de fide nihil eum loqui, ceterum de Veritate, quom dicat. Iustus in Emuna sua uiuit. Emuna autem ueritas est. Veritatem autem & fidem non esse idem. Respon- deo. Non eo inficias, Hebr. eis Emeth & Emuna non omnino dissimilia sunt, quom & utrumq; ab una ra- dice, quæ est Amen, exurgat: Quare dum Emeth ue- ritatem significat & Emuna ueritas erit, sicut Græca & Latina Biblia ex Hebr. eo transferunt. Atqui er- ror est Paulus aliter, & recte, Emuna fidem reddi- dit. Nam & si Emuna uel Hebr. eis ueritatem signifi- cet (quod tamen nunquam demonstrabunt) Scriptu-  
re fides

## ANNOTATIONES.

re frequentissimus tamen undique usus cogit, quod Emeth ita ueritatem significet, quemadmodum bonus uir uerax & fidus est, qui factu uerbum suum exequitur. Emuna uero eam ueritatem denotet quam quis = que in corde suo secum gerit, qua alterius tum fidei, tum ueritati adheret. Vnde Emunim sunt ij, qui fidunt & credunt, aut sibi ipsis renunciant, & alterius ueritati se sociant. Psalm. 31. Dominus custodit Emunim, hoc est, eos, qui sibi fidunt & credunt. Admitto ego, si quis contentiosior uelit esse, ut sensum in animo quo alij ceu fido & ueraci adheret, & illi se credit, ueritatem, aut quocumque uelit nomine uocet. Paulus & nos ipsi eiusmodi mentem secus appellare nescimus quam fidem, & qui sic animati sunt, fideles sunt & credunt. Inde enim & ueraces, id est, candidi, fidi & pij homines fiunt. Sic Deus aliàs in Scriptura Deus Emeth nuncupatur, ut Psalm. 30. aliàs Deus Emuna, ut Deuteronomij. 32. utrumque enim suum est, & ueritas eius, & nostra fides. Verum de hoc nunc satis.

### CAPVT TERTIVM.

Atqui uinum arrogantem uirum decipit, ut subsistere non possit, qui dilatat animam suam, ueluti infernus.

F 3 & per

& perinde est ac mors, quæ  
est insatiabilis, sed oēs gen-  
tes ad se colligit, & oēm po-  
pulum ad se congregat.

**I**N primo Capite Israeli minatus est Propheta, de-  
uastationem que prædicauit, ac nimis super uasta-  
tore, Rege Babylonis conquestus est. In Secundo uer-  
bis & externis signis eos rursus consolatus est, nem-  
pe aduentu Christi & regni eius. In hoc uero tertio &  
Regi Babylónico, & regno eius minatur, multis tum  
uerbis, tum apophthegmatis, idq; totum ob eam caus-  
sam, ne perpetuo duraturâ captiuitatem suam Iudei ar-  
bitrarentur & desperarent, uerû consolationem reci-  
perent. Nam hostis illorû æque tandem uastandus sit,  
ipsi uero liberandi, multo celebriores futuri. uti & in  
quarto capite eos item animabit, priorum Dei mirifice  
gestarum rerû recensio. Nam uti memoratû est pau-  
lo ante, Tam huius quam omniû prophetarum potissi-  
mum institutum, præcipuus scopus est, ut consolentur  
& retineant populum in fide, & spe, quam in uentu-  
rum Christum gerant, ne de ipso desperent, non opti-  
mam rebus eius faciem ostendentibus, qua appareat  
quasi incassum expectetur, quippe qui ad mularum  
partû uenturus sit. Quemadmodû & Apostoli Chris-  
tianos nos consolatur, ut sub media cruce, inconcussa  
fide, æthernam tamen uitam & nullis unquam seculis  
interu-  
interu-

ANNOTATIONES.

interiturum in caelis regnum expectemus.

Supra regem Babylonis piscatori comparat, qui omnia ad sese rapit, exedit & deuorat. Hic uero potori ad similem facit, qui sese ita ingurgitat, ut cogatur euomere denuo. Ac tantum uult dicere. Quemadmodum uinum dulciter primum ac tenere irrepit, maxime dum ebrius, fastuosus est, suaque potatione, ueluti, Zythi magnanimus heros uiniq; Eques insignis iactari cupit. Vinum quidem alacriter subintrat, eius tum potori herbam sese bibendo praecepturum alijs gaudet. At haustum tandem in capite dominatu fungitur, ut & Equitem potorem sub scamnum deiiciat, ut in cocum suum transformetur. sordibus, uomitu, foetore domum replent. Tum superbus ille egregiusq; Heros prostratus est, instar surdi, & bruti animantis, adeoque amicæ luto suis, ut nihil porro humani in eo reliquum sit, praeter externam faciem. Atque id demum uisu, auditu que, tanto turpius est, quanto honestiorem ille bibulus uirum praestare deberet. Impositum itaque uinum homini, hoc est, ut Hebraeus habet. Adeo illum dedecore perfudit, ut spretus omnino, neque alicuius usquam opinionis sit, ut neque puer ab illo timeret sibi, imò neq; sues, quae tamen gula sua & gargarismi offas circa eum sorbent. Quid enim ebrius faceret? Neque loqui, neque quicquam operari potest, quippe qui omni ratione sua, intellectu, sermone, sapientia & uiribus destitutus est. ut truncus

illic iacet, etiamsi antea seuius Hector aut fortis Achilles fuisset. Attamen puerorum ridiculum est et canticum, qui uel digito cum indicant, rident, et similia in morem cum eo ludunt, pro suis uotis. Recte etiam Latini sapientes scripserunt, Temulentum hominem neque uiuum, neque mortuum esse.

In eum modum, Rex Babylonis, magnus, superbusque bibulus extitit, non qui uinum exhauriat, Verum, ut Habacuc interpretatur ipse, quod fauces suas dilatat, ueluti infernus, nec saturabilis existat itidem ut mors, rapit, sorbet et deuorat, tum nationes, tum uniuersas gentes. Sed eae uinum dulciter subintrat. Per gratum enim et charum est, tam potentes terras et populos sibi subijcere, tamquam fortem. i. ebrium temulentumque, fieri. Sed intiosum nanciscitur exitum ea tandem fabula, ubi omnia conuoluerunt ac reddere compellitur, ut prorsus nullus fiat, ut neque regnum, nec terram, nec incolas aut locum retineat. sicut Regi Babylonis ueniuit, dum a Persis uastaretur. Tum enim, quod Habacuc hic praedicit, ratum factum est, ut summo cum dedecore rursus uomere compelleretur, quicquid exorserat. Totam namque, cum populo, terram, amittere cogebatur, ipseque in nihilum redigebatur. Hoc demum est, quod ait. Vinum decipit, aut ignominia afficit fastuosum hominem, ut permanere nequeat. Vox enim (decipit) eadem est, cum ea quam supra primo capite uidimus (Boged uel Vno ged.) Vbi quisquam adeo nullus sit, contemptumque habetur.

ANNOTATIONES:

betur, ut certum sit & nulli non compertum, eum nullus esse precij. Præterea ubi inquit, ut permanere nequeat, significat, quod nullam siue domum, siue mansionem retineat, ceu is, qui è regno suo abigitur.

Germanis nobis prouerbiū est, nihil ab huius Habacuci dicto discrepans, nempe. Domus ebria hospitem expuit. Einn truncken hauß spuet den uirt auß. Si, Habacuc imitati, hunc locum Tyranno cuiquam applicaremus, & deglubenti & scabenti subditos id quod strenue Episcopi aliquot & Principes perficiunt, item possemus dicere. Ne nimium ille sese ingurgitat, nimium ebrietate perfunditur. Domus ista ebria, profecto hospitem expuet suum. Id est, ad rapinam & suorum compressionem intentus est, ut contemnatur & ipse demum interire cogatur. Immo ne dum contemptui habeatur, sed & omnibus exosus redatur, cui nemo faueat, & nullus non inuideat. Eiusmodi uero regnum, quod timore & uiolentia ab inuisis Tyrannis gubernatur, citra subditorum amorem, & fauorem, consistere nequaquam potest, id quod omnes in uniuersum testantur historiae, quottidinaq; exempla docent. Atq; uerax hic Habacuc sua cum sententia demonstratur. Quod uinum fastuosos tyrannos, ignominie & dedecori exponat, ubi nimium terra populiq; in sese bona suxerint, hauserintq;. Neque enim uicini potentiam eius perferre queunt, quom sibi intollerabilem fore, nisi protinus anteuorterint, uere-

F 5 antur.

antur, unde percusso inter sese fœdere, illi se opponunt, tum ad umbilicum potestas eius perducta est, quom suum populum, terram, incolas sibi aduersos habeat, ut illi non bene precentur, sed potius alium dominum desyderent, quo fretus hostis, tutiore maioreq; animo adoritur Tyrannum. Ita intus & foris exauctoratus est, & cuomere demum cogitur, quicquid unquam Bonosus ille hausit. Idem planè Regi Babylonio occurrit, aduersus quem & Medi & Persæ finitimi eius copias armabant, ipsūq; deuastabant, quod plerisq; tum terrarum, tum populorum suorum non ingratum adeo fuit.

Vide uero, quàm asperis acerbisq; uerbis regis corripiat tyrannidem. Habacuc primum elatum illum nominat. Tales enim uere sunt tyranni, ut adeo temere, superbe, uiolenter ferantur, ut cogatur illis aduersari & maleuelle populus, dum non tantummodo deglubat & comprimât subditos, cæterum ad hæc superbe & arroganter agant cum iisdem, pro sua libidine. Secundo eū faucibus Inferni cōparat, qui adeo amplius sit, ut etiamsi uniuersum mundū deglutiat, nec uel sic tamen clauderetur. Hac ratiōe, etiamsi mors uniuersum occideret mundū, nec ul' sic tamē fames eius sedaretur. Quibus uerbis profecto potētissime insatiabilis tyrannorū auaritia taxata est. Vbi ppheta simul indicat, cuiusmōi affectib; rapiatur humana mēs, dū p gloria et honore acquirēdis sollicita est. Scilicet ut quo plus possederit, hoc magis

hoc magis possidere cupiat. Si uniuerso potiretur mundo, lubēs duob. potiretur. Sin duos haberet, optaret decē. Sūma, ubi mors et auaritia saturata fuerūt, tū auarū iē cor saturabitur, nō antea. Quare nō est instituēdū tibi, quo mō auaritiā, mortem, auerna cōpleas, tantūq; tribuas, ut dicāt satis esse. Ceterū auaritia ipsa occidēda est aequē atq; mors et infernus interimēda sūt. Vt uero mortē et inferos nō iterumit, prāter unū Christū, sic auaritiā nemo, prāter Christum occidere pōt, aequē ut oīa alia peccata, nisi q; mors corporea ē medio auarū tollit, ut ne porro auaritiā exercere suā possit, perīde ac dici solet. Saturabere tādem semel, dū à pollicitori bus in tumulto tuo cōtegēdo post te feritur, philargyria uero, ut alia peccata comitatur eū, ac apud eū remanēt. Alioqui in terris, nihil boni Auarus agere potest (ut Ethnici dicunt) nisi quod moritur.

Nonne, Hi omnes de eo apophthegma cōdent, et fabulā et adagiū, et dicēt?

Pergit in ebrij uiri comparatione Propheta, quō is ignominia, ut dictum est, afficiatur, ut et digito monstretur, rideatur ac subsanetur, ceu is q; tanta prius fortitudine clarus erat, ut à nullo non timeretur. Nunc uero, illic ebrius, suisritu decumbit humi, aut si graditur, tam ridicule nutante gressu nunc hac nunc illac declinat, lapsat, turbinis in morē rotatur, ut nemo risum cohibere queat. Ire conatur, pedibus interim officiū suū denegantibus.



denegantibus. Idem tyrannorum pompæ tandem accidit, ut non solummodo potentiam suam & res amittant, ac ebriorum in morem nusquam uel stare uel permanere possint. Verum quod ad hæc rideatur & subsannentur, turbinatis, uarietatis, ignominiosisq; uerbis. Vbi nunc magnifice heros agis, quo nunc ira tua peruasit? Breuiter sycophantia eius prodita, qui antea in omnes crudelis & horrendus erat, ille nunc ab infimis contemnitur, id quod in mundi huius cursu se ita habere cernimus. Exemplo nobis Papa sua cum familia fuerit, ubi quiuis cantillat, fingit, deridet, subsannat, oportet, qui antea nec mihi quid diceret, nec mutire audebat. Eiusmodi planè risum atq; ludibriū Regi Babylonio in omnibus terris suis, ubi nunc Colophoniam (ut aiunt) ferocitatem exercet, occursum Habacuc sic prænunciat. Quæ si quisquam illi coram retulisset, fabulas esse bullatasq; nugas, nec ita fieri posse cogitasset secum. Attamen pro Iudeorum consolatione prædicatur, tametsi pauci crederent.

Porro mirificus admodum est in operibus suis Deus. Adfirmat enim deridendos, subsannandosq; Tyrannos, quom interim illi tam firmiter Regnum occupent, ac tam alte radices suas infigant, ut Hieremias ait. Præterea & Psalmus secundus à DEO rideri & subsannari gentes, principes, aduersus Christum se se erigentes testatur. Hoc cernere et subsannare est dum ipsi fortiter uincunt, ut Christum crucifigant, discipulos

## ANNOTATIONES.

scipulos eius insequantur & interimant: illis potentissime cum in terra sua, tum dominatu permanentibus. Ergo ad hanc rem fide opus est, Sermones fidei sunt, quæ quod dicunt, non in apricū exponūt, ceterū futura, aduersus hæc, quæ corā uidentur, & plena uela habent, promittūt, Christi Euangelion nusquā efficacius & potentius peruenit, quā ubi summo conatu uetabatur. Sua enim horula instante, tyranni occumbebant, uerbo manente superstite, paradigmatis uicem Hierosolyma & Roma tibi præbent. Et hodie ubi principes & Episcopi atrocissime in Euangelium seuiūt, eo peruenire cogitur, maximeq; diuulgari. Tum ridebitur ac dicetur. Quo nunc se contulere, qui hoc admittere nonlebāt? In monumentis iacēt, uermibus absumūtur. Verbum uero dei sua dominatione fungitur porro. Sic Hānus & Cayphas uerbū Hierosolymis permittere adigebantur sui ipsorum cum ludibrio. Iā ubi Christi uerbum est & permanet, illic Christi uictoriam & regnū permanere dicitur. Ipse enim sua cum doctrina uincit præ qua aliæ traditiones, murium ritu tacere compelluntur, ut quotidianis exemplis cernimus.

Væ illi, qui sua alienis rebus auget;  
Quamdiu illud persistet? qui densum  
super se lutum cumulat.

Ordine quedam hic opprobria recenset, quæ in Babylonico Tyrannum in sua terra iacienda essent.

Sunt

Sunt autem quatuor. Quintum uero Habacuc à se ad iecit. Quod uero tam ludibrium plenus sit, ad o[mn]i[m] potentem Regem derideat, perpetuo sic accipiendum est, cor eius eo directum esse, ut Iudeos consoletur, ne de aduentu Christi desperent. Nam hic potissimum, uti dictum, Propheta scopus est, ut infirmos in desolatione Hierosolymorum subsulcire & conseruare uelit.

Prima derisionis Ode, que de hoc exanimato ebriò q[ue] tyranno canetur & palam undiq[ue] terrarum predicabitur, De eius auaritia est, qua immensa bona ex omnibus terris corrasit. Hec enim mundi & natura & ordinatio est, ut primum nummos & facultates querat, deinde uero alta edificantur Pergama, post hæc uoluptates & gaudia, ultimo loco magistratus & honores queruntur. Atq[ue] hæc quatuor posthac in ebrii tyranni derisorij sententijs ordine uidebimus. Rem suam familiarem (inquit) auxit, non diuina benedictione aut largitione, ut Reges Israel & Iuda in sua terra, cæterum alijs temere ac uolèter rapuit, Hoc est, quod o[mn]es prouincias in suam redegit potestatem, census, & nihil non exactionum erigens, donec ad sese, quicquid in terra esset, corraderet, neque illud ex Dei iussione, sed ex mera philargyria & arrogancia (quanquam Dei promissione) Tyrannorum omniumq[ue] regnorum consuetudine, que bellis & iniuria, citra Dei iussum, oriuntur,

ANNOTATIONES.

oriuntur, unde & huiusmodi regna Spolij montes uo-  
cantur. Psal. 75.

Quamdiu durabit? Non secus agit, ac in æternum  
ita duraturum esset. Derisoriã huiusmodi Oda, nemo  
canere ausus fuisset, regnante adhuc Tyranno, neque  
enim perpeßus fuisset. Iusti enim haberi uolunt Tyrann-  
ni, nec uolunt alienum esse bonum, quicquid hoc modo  
lucratur. At postquam nullus est, libere cantillatur  
hec Oda, rideturq; habendi eius cupiditas summa li-  
bertate, magno ipsius dedecore, utpote qui iure interi-  
erit, ut publicus terra deprædator, quiq; tam diu alie-  
na bona obsederit, que iam sui cum ignominia redde-  
re cogitur. Ac huiusmodi bona, multum densumq; lu-  
tum adpellat. Non sui ipsorum tantum nomine, cæte-  
rum quod per hæc omnium terrarum & populorum  
odium, inuidiam & inimicitiam super se coaceruet,  
sub quibus suffocatur & supprimitur, quod mali nec  
auertere, nec rejicere a se potest. Nam qui in luto hæ-  
ret, ille se nusquam uertere potest, sed sistendum illi  
est. Eadem ratione, qui populi gratiam, fauorem ami-  
serit, is omni semota consolatione, simpliciter perdi-  
tus est.

Quam subito euigilabunt, qui te  
lancinent. Et expergefient, qui te e  
throno tuo amoueant, Tuq; in illo-  
rum cassem incidēs.

Hec

Hec Habacuc, ut futura narrat, sic tamen, ut sint de  
 risiones eorum, qui Babylonem deuastaturi sunt, qui  
 sic dicent, Ecce quam repente uenerunt, qui te momor  
 derunt. Enim uero dum nihil horum tum contigerat,  
 hisce Iudeos consolatur, Regi uero minas intentat. De  
 scribit autem, quo pacto fiat, ut Tyrannus tuto sedens  
 in repentinum irruat interitum, dormientis stertentis  
 q̄; hominis parabola assumpta, qui securus cubat &  
 dormit, nec alicubi mouetur. Sin adueniat, quod atro  
 citer in eum aculeos figat, aut morsum, ut uespa, alius  
 ue uermis, expergescit continuo ex improviso, pauesi  
 etusq; surgit, ac si tota terra hoste referta esset. Simili  
 ter Regi Babylonico euenit. Vbi tutus sedebat & bi  
 bebant, symposiacisq; uoluptatibus studebat. Daniele te  
 stimonium ferente, ex insperato Persæ cum Medis ade  
 rant, una nocte, Babylonem capientes, & occidentes  
 Regem. Hic euigilabat Rex, ac securitas eius aufugie  
 bat, atq; ut hic textus habet, eiciebatur & ex tuis abi  
 gebatur castris, nec effugere poterat, sed in Persarū  
 ac Medorum deuenire manum necessarium erat, illiq;  
 bona, terram, subditos uicissim partiebantur. Id ue  
 ro summo animum cruciatu conficit, uelle adornare  
 fugam, nec posse, ceterum in hostilem oportere manū  
 incidere. Ita redditur ei, quod alijs malum dedit, ut se  
 quitur.

Multos nanque gentium spoliasti,  
 propterea

ANNOTATIONES.

propterea & reliqui populi te depreda-  
buntur, propter humani sanguinis ef-  
fusionem, & propter iniuriam, quam  
terræ, ciuitati, incolisq; eius omnibus,  
intulisti.

Pro minimo ducit, quod alias gentes spoliarit, ac  
uolenter suppresserit. At pro consolatione Israel id  
præcipue adducit, quod terram Iuda, ciuitatemq; Ie-  
rusalem, cum populo eius perdiderit, pro rerum sua-  
rum augmentatione. Quom enim ait, Propter huma-  
num sanguinem, omnes alias gentes, quæ Iudæi non  
sunt, sed ut alij homines, significat, in quibus sibi sub-  
iugandis, multum effundere ipsam sanguinis oportet,  
absque omni causa, solummodo ut diuesceret,  
ac Inchyus magis heros fieret. Vnde illum ferocem  
quoque latronem, propter turpem eius auariciam in-  
crepat, quemadmodum & hodie mundani Episcopi  
& Principes, nihil curant, quantum humani sangui-  
nis opus sit, modo diuitijs & dominatu augeant, ut  
hodie mundi Satanæq; mos est & regimen.

Iniuriam uero terræ Iuda, & urbi Ierusalem illa-  
tam, longe maioris facit, ob eam causam, quod illic  
Deus commorabatur, cuius religio, cultura, popu-  
lus, templum & Verbum illic erāt, quare illic maxi-  
mum delictum admisit Rex, temeritate, hoc est, iniu-  
ria &

G ria &

ria & iniquitate, in diuinas sanctasq; res. Quare  
 & terram, urbem, ciues, suis non exprimit nomi-  
 nibus, ceterum communibus uocabulis illorum fa-  
 cit mentionem, quasi nulla porro regio, nulla ciui-  
 tas, aut homines sint reliqui, quos Rex adflixerit.  
 Quicquid enim alijs impijs terris populisq; damni  
 dedit, exiguum est, si ad Israel conferatur. Tradi-  
 derunt posteris historici, quod sepe semper, omnis  
 temeritas in sanctis rebus perpetrata, ilico uindica-  
 ta sit, ut & prouerbium hinc ortum sit, Cum san-  
 ctis iocari, tutum non est, solent enim sui libenter  
 signum exhibere. Item illud, Credidit & Diuis quis  
 quam, nisi signa uideret? Sic & de Cn. Pompeio o-  
 mnium fortunatissimo Romano Principe fertur, quod  
 nullum porro rerum suarum foelicem successum ac-  
 ceptus sit, postquam templum Hierosolymitanum de-  
 honestauerat. Sed & Babylon fuit, quod fieri de-  
 buit tum, quum Hierosolyma Rex destruxerat. Sub  
 inde nanque defecit, ut & ipse in brutum animans  
 transmutaretur, neque quisquam post eum tanta po-  
 tentia resplenduit, quin & regnum, post filium eius  
 in tertio gradu, ut Daniel quinto Capite testatur,  
 desijt.

Adeo enim seuerè sanctificatum uult nomen su-  
 um Deus, ut neque ipsum in idolis dehonoriari si-  
 nat: quandoquidem omnia idola Dei nomine utan-  
 tur,

ANNOTATIONES.

tur, seque diuini numinis adpellatione insigniri si-  
 nant. Sepnumero enim supplicium experti sunt,  
 qui idola contumelijs onerarunt, aut quicquam in il-  
 lis temere gesserunt, ut Gentium testantur historia.  
 Vnde et huiusmodi pauor corda mortalium penetrauit,  
 ut & idola horrerint. Non quod ideo idololatria bo-  
 na res sit, aut reprehensionem non obnoxia, uerum,  
 quod tam cruda temerariaque mens, idolorum de-  
 risione, necdum idola, sed iuxta etiam uerum Deum  
 subsannet, quom illic Dei nomen praesens sit. Nec  
 enim ex fide, Christianorum more, sed ex temerita-  
 te & curiositate agit, quicquid agit. Admittit enim  
 tum Deus, ut Satanas puniat, & plagis adficiat.  
 Perinde atque nostris temporibus, Antonius, Valen-  
 tinus, temerarios saepe multauerunt. Idipsum uero  
 Cacodemon, Dei permissu, fecit, quod huiusmodi te-  
 merarij calumniatores, aequae idem facerent in ueris  
 Dijs, adeoque in ipso Deo, atque in illis Dijs, quos  
 ipsi tales esse credunt, faciunt. Sic dixi, Adagium hoc  
 inde prouenire, Sanctos lubenter solere signa  
 edere. Quod enim sanctum iudicatur, eti-  
 am si reuera sanctum non fuerit, sanctum  
 tamen, sic iudicanti, est. Dei enim no-  
 men usurpat, quod solum sanctum  
 est, quo abutitur, in quo temera-  
 rium calumniatorem agit.

De quo nunc satis.

G a Ve



Væ auide auaro, ad damnum domus  
sua, ut ponat in alto nidum suum, ut es-  
uadat manum infortunij.

Altera derisoria Ode, quæ cãtabitur, de firmo eius  
ædificio est. Sic enim fieri solet, ut ubi ingens pecunia-  
rum rerumq; summa, terra item & populi nobis ac-  
cesserit, sollicitè cogitemus, quomodo parta tueamur  
Hic primum auaritia negotium gerit, multo maius,  
aut saltem non minus, quomodo conseruet res, quam  
quomodo lucretur. Vrget itaque, ut fortes, munita  
domus, arces, & urbes ædificentur, neu sit illis o-  
pus, formidare hostem. Quom enim bona sua non  
ex fide à Deo receperint, cæterum auaritia conqui-  
sierint, nec Deo committere aut credere eadem pos-  
sunt. cæterum ipsi magna prudentia & consilio ui-  
am inquirunt, quomodo custodiant & tueantur o-  
pes suas. Hinc mira supra mira de Regibus literis  
tradita comperimus, ut illi munitissimas urbes con-  
diderint, ut Iudith primo Arbaces Medorum Rex  
Egbalhanis extruebat, cuius muri triginta cubitos  
in latitudine, septuaginta uero cubitos altitudine,  
turres uero centum comprehendebant: ad quod cer-  
te ædificium hominibus opus fuit, & laborem iux-  
tà egregium illic arbitror fuisse peractum. De hac  
Babylone tamen multo prædicantur maiora, quam  
scilicet incredibilis magnitudinis urbs fuerit, ut Ari-  
stoteles

ANNOTATIONES.

Stoteles, non urbem, sed totam regionem, intra eius  
mœnia conclusam, dixerit. Ambitus urbis sexaginta  
millia passuum complectebatur, uti Plinius author  
est, quæ quindécim miliaria constituunt germanica.  
Porro quindécim in ambitu miliaria, urbem effici-  
unt, quæ quinque miliaria in longitudine, totidemq;  
in latitudine recipiat. Muris eius duccenos pedes al-  
tis, quinquagenos latis, in singulos pedes ternis di-  
gitis, mensura longiore, quàm nostra, sexcentas cu-  
rias in se complexa, & alia plerâque, ut propte-  
rea inter septem orbis miracula Babylonia numere-  
tur. Miraculum profecto est, quod homines tantum  
absolvere ædificium potuerint.

Tanta urbe Rex & Babyloniæ freti, cornua tol-  
lebant, tanquam certi, quòd capion non posset, nec de-  
strui regnum, Quemadmodum & Iesaja quadrage-  
simo septimo recenset Capite, ut Babylonia gloriatur et  
dicat: Ego sola sum, nec præter me est alia, nun-  
quam uidua sedebo, neque unquã orbabor liberis &c.  
Nec sanè mirum est, q; humana mens tanta potentia,  
tantis rebus confidat, quom & ad longè minora fi-  
duciam suam collocet, ac intumescat. Iudeis uero  
creditu fuit difficile, à Babylonia redimendos se, à tan-  
ta antea potentia captos, perditos & uastatos. Qua-  
re Propheta, Iesaja, Ieremia, & Habacuc, summis ad-  
uersus hanc urbem uiribus clamant, ut per consolati-  
onem, populum in fide, ad uenturum Meschiah reti-  
neant.

neant. Quis enim uel hodie crederet, si talis prædicatio increbresceret, tantum regnum diruendum; captiuosq; redimendos? Longe latèque omnem tum rationem tum intellectum superat.

Quòd si Deus alioqui nihil miraculorum aderet, satis arbitror in tanta urbe, tanto regno, posuisset nobis ante conspectum, quàm nulla planè potestas, nulla fortitudo iuuet, ubi ipse nobis manum suam auxiliatricem ademerit, quàmque nullum edificium aut munitio constare possit, postquam ipse defendere cesarit, uti Psal. 126. adfirmat: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra excubias agunt uigiles eius. Quo satis indicauit, quàm sit metuentus, uel omnibus uniuerse terræ Heroibus, ut admoneantur, ne uel bonis aut uiribus suis freti, conuua sumant. Si enim Babylon perseuerare non potuit, ubi Turca, ubi Imperator noster, Reges & Principes permanebunt, qui uix ciues Babyloni possent esse? Rursus consolationem inde recipiunt, quicumque à Tyrannis persecutionem patiuntur, in carceres trudentur & adfliguntur. Si enim Iudeos è Babylonia, ubi tam arrogantes, potentes, seuique Tyranni uigebant, redimere potuit, quomodo non & à uilioribus, longèq; inferiori dominatione pollentibus liberaret? Hoc est ergo, quòd Habacuc Iudæos animat futura redemptione, ridetq; Tyrannum Babylonicum, & sic occinit: Vt superba diuitie Babyloniæ  
ex omnibus

## A N N O T A T I O N E S.

ex omnibus gentibus collectæ, dissipatæ & nullæ factæ sunt, sic magnificum, forte, preciosum edificiū destruitum & dissipatum est, postquam hora præsto fuit.

Proinde Ode illa derisoria hunc tenorem habet, *Vae avaro, ad damnum domus suæ, Id est, Quam tristem sortieris euentum, quam exponeris ludibrio, quod adeo pro edificanda domo tua, studueris philargyriæ, adeoq; pro munienda Babylone. Quid prodest? Nihil est, nisi ut tibi ipsi, domuiq; tuæ, plus damni appares. Si enim multum edificaueris, multum diruetur. Si multum in hoc expenderis, multum perdidideris, tuaq; ignominia & damnum, tanto magis augetur, cum tam præclaro edificio uastaberis, & incassum edificasse cogeris, ut nemo non tibi illudat, & dicat: Quò nunc ardua illa structura? Vbi munita ciuitas? quæ uel à toto mundo non timebat sibi? quam belle sese tutata est. Erga uniuersum orbem arrogans fuit, omnibusque insultauit, & nunc adeo turpiter capta & deuastata est? Minus damni & infortunij foret, si non tantas munitiones extruxisset, nec adeo auaritiæ, miserorumque pressuræ & exactiōni, ad muniendum se, incubuisset? Nonne pariter in proxima colonorum seditione agebatur? Extabant enim domus & arces, quæ antea neque Turcam formidaturæ erant. At quàm primum rufici ad eas pulsabant saltem, nullæ erant. Quid erat in causa? Num satis fortes erant? Maxime.*

Ceterum uerus propugnator & edilis aberat, domi non erat, ideo nulla structura, nulla excubie profuerunt. Adhuc tamen non sunt, qui secum hoc repentent. Adeo cecum, saxcumq; humanum cor existit.

Quod autem ait (Qui auaritia studet) indicat, Vt rex Babylonie structuram suam, non ex iuste parta facultate, ceterum ex terra & populiq; exactione perfecit. Hoc est, non contentus fuit aequis iustisq; tributis & censibus regni, uerum et subsidiariam, & edulicium ab eis pecuniam corrasit, uarijsq; exactionibus exuxit, ut fieri solet, ubi magna coeperint Optimates aedificia, tum enim miserum exenteratur uulgius, ut haec sententia non inepte super omnia eiusmodi aedificia, uel pingere, uel scribere solet: Vt qui auarus est, ad infortunium domus suae. Nec enim felicem euentum sortitur, quod non iuste partis rebus extruatur, praecipue, si quis in eo adhuc confidere uelit, nec Deum, ceu uerum protectorem, ob oculos ponere, hoc pacto, dicitur ait, ut nidum suum in altum collocet, ut manum infortunij euadat, significat, quod ea structura pro munitione aduersum hostes fuerit. Sensit enim in conscientia sua, quam non multum bonae praecationis in uulgo habuerit, suae tyrannidis, auaritia, exactionisq; causa, ergo oportuit illum timere sibi, nemini fidere, & nusquam non sollicito timere malum. Quod ut anticipet, uertit sese, & lapides & ligna inuocat, aedificat, obfirmans se, cum iisdem, quo se tueantur. At misera est custodia

ANNOTATIONES.

custodia & defensio, ubi saxa & robora custodire debeant, deserentibus interim hominibus & odio prosequentibus, ut ipsis tyrannis multis cognitum est experimentis.

Regnum adpellat nidum, munitionem uero eius altitudinē, securitatem eius, euadere manum infortunij. Illud enim peculiare est Hebrææ linguæ, ut habitationes aut domos, nidos uocet, quos aues præcipue maiores, ut sunt Accipiter, Ardea, Aquila, in alto extruere solent, ut immunes, pullos suos generare, fouere, & educare queant. Idem diuites, magniq; Heroes faciunt, perinde atq; Obadia de Esau ait. Quod si uel inter sidera nidulareris, adhuc tamen deijcerem te, dicit Dominus. Nam etiam si diu ædificetur & laboretur, nihil amplius præter nidum est quicquid in terris possidemus, Etiam si uniuersi mundi substantia foret, in quo gignimus, nutrimus & seruamus foetus nostros. Iuxta hæc animantium quoddam interdum ingruit, uel damnum, quod nidum unâ cum pullis diruit, uel aliâs nidos cum pullis totus aboletur. Ea est uita rerumq; nostrarum cõditio, tēporarie sunt, & ut ortæ, sic intereunt.

Consilium uero tuum ad ignominiam domus tuæ uertetur.

Hoc est nequicquam fit structura talis, & apparatus, uti memoratum est, quod maior inde noxa & contumelia nascetur. eò quod humanum cõsiliu sit & institutum, absq; Deo & consilio eius. Consilium tuum

G 5 (inquit)

(inquit) Quasi dicat prudenter ordiris rem, institutu  
 tuum edificandi & muniendi bonu est, atqui propria  
 consilia sunt, ut dici solet, querna affixio est, pro eo q  
 proprium dici consiliu debuit, perinde atq; ubi dicitur.  
 Quernum folium foetet, pro eo, Propria laus foetet.  
 Propterea quod plerunque omnia propria consilia cer  
 to deuent.

Parono  
 masia.

\* In germanis Lutheri Scholijs, elegas Paronomasia  
 est, in uoculis, propriu consiliu, &, querna adfixio,  
 quom enim iisdē ferē scribantur elementis, unica salte  
 litera, que in dictioe proprium, g, in querna uero, ch,  
 est (nam, in uocibus, consilium & adfixio, nulla litera,  
 sed intellectus discrimen facit) diuersitatem parit. Ea  
 dem παρονομασία est in hisce, quernum folium, &  
 propria laus, Perinde atq; si dicatur apud Latinos. No  
 est amantis, sed amentis, totam cum scorto dilapida  
 re facultatem. &c. Sic Lutherus, Es seind nit eige  
 ne anschläge / sundern Eichne anschläge et cet.

\* porro proprium consilium est, quod Deus non in  
 spirat, sed ratio nostra colligit ac excogitat, qd totu  
 Scriptura casu predicat, ut. 1. Cor. 1. Deus nouit cogi  
 tationes hominum quoniam uanae sunt. Et iteru. 1. Co  
 rint. 1. Prudentia prudentiu reprobabo, & totus Ec  
 clestastes, huiusmodi quernas affixioes reijcit. Homo  
 enim uanus. i. nullus est, quapropter & consilia eius ne  
 nulla sunt. Consilia autem domini persistunt. itaq; insti  
 tutum

ANNOTATIONES.

tutum hoc Babyloniorum summa ignominia debone-  
 statum est. Cogitabant enim apud se perpetuum fore  
 regnum, ac priusquam per penderent, ecce in cinerem  
 coniectum & redactum erat. Romani eiusdem item  
 sententiae erant de regno suo, in aetherna enim saecula  
 permanisurum arbitrabantur, cuius & pleraque tum  
 argumenta tum consilia habebant, ast totum interijt.  
 Nec hodie oculis meis elegatiora Dionysiacae obuer-  
 santur, quam illa, quae Papa, Imperator, Principes, cum  
 Deo suo Satana celebrant, quibus pro extinguendo  
 Euangelio consultant. Quoties consilium illorum er-  
 ravit, & adhuc hodie errat, ut & palpari queat, quo  
 modo fiat iuxta Psal. 2. Reges erigunt sese, & princi-  
 pes consultant aduersus Christum. Dominus uero in  
 caelis deridet eos &c. Sed ideo non desistunt, etiamsi  
 in mendacijs & contumelia deprehendantur, ut omni-  
 no tandem in peccatis & ignominia sua intercant, id  
 quod idem Psal. adfirmat. Ira eius protinus exardescet.

**Siquidem multos contriuisisti popu-  
 los, omnique temeritate peccasti.**

Propterea, inquit forte adificium tuum non prode-  
 rit, Modum enim transgressus es, & Deus et homines  
 aduersantur tibi propter tyrannidem tuam, qua ui de-  
 traxisti pellem hominibus, eorumque ad te rapuisti bona  
 atque Habacuc hisce uerbis conscientiam eius attingit, ut il-  
 lum ira Dei perterreat. Quod enim ait multos contriuisisti  
 populos, peccati magnitudinem indicat, quod nimium fecerit.



Et confractio siue contritio, significat, quod eos in bonis suis adfixerit, uictumq; illorum abbreviarit immi-  
 nueritq; , ut ipse modo locupletior fieret & habitatio  
 eius munitior. Quemadmodum illis accidit, qui heri-  
 libus seruitijs (quibus dies aliquot annuo dominis su-  
 is, uel neglectis domi suæ rebus non sine maximo sui-  
 ipsorum, incommodo nullo precio in seruire cogun-  
 tur) adeo adfliguntur, ut perferre nequeant, illis etiam  
 alimonia sua præripitur, tantumq; est, ac si à prædoni-  
 bus sic laderentur & cõfringerentur. Et quod ait, et  
 cum omni temeritate peccasti, Hebraice tantum ualeat.  
 Et hoc cum anima tua cõmisisti. Quod ita temere pec-  
 care est, ut mentem suam nõ optimam quisquam in ho-  
 mine refocillet, cui & unice placet talem exercere fa-  
 stum, quasi animæ, hoc est, uitæ suæ imposta esset sceli-  
 citas. Ad quem etiam modum Ezechiel. 25. ait Philis-  
 tijnm ulti sunt se ex animo. i. ex corde, ut temeritatẽ su-  
 am fatient. Ita Exo. 15. Anima implebitur. i. animi mei  
 affectũ in illis explebo. Eadem ratione, se gessit rex,  
 ubi quidam auaritiæ & exactionibus sese opposue-  
 runt & recusarunt, ita cum eis egit, ut animum suum  
 in illis reficeret, & solam suam libidinem expleret,  
 qualiter & iam nunc Episcopos nostros & tyran-  
 nos, suis cum pauperibus agere uidemus.

Nam & lapides muri clamabunt, &  
 laquearia contignationis responde-  
 bunt eis.

ANNOTATIONES.

Qui hoc fit, illa ne munita urbs, & altus nidus, ubi lapides ac trabes aduersus & super herum suum uociferantur & fragorem edunt? Domus ne hosti suo aduersabitur? Quid hostes facient? Verba sic possent accipi, quod lapides ac trabes significarent proprium Regis populum, aut subditos qui illi assistere, & auxiliari deberet. Ac quod ita sese cum illis gesserit, ut ipsi quoque nunc ei aduersentur, in necessitate deserant, in eum clamitet, ad hostes deficiant, illis opem laturi. Vel uti domus, quæ fragore suo, & sonitu ruinam minatur, incolam eijcit, ut plus intra aedes, quam extra, sibi timeat, & in qua tutela & summa securitate gaudere deberet, ab eo fugere potissimum adigitur. Quare non bona precatio est, si dicatur. Vetus te paries trucidet. Ego uero Prophetam, regis suorumque conscientiam attingere arbitror, hancque illius esse mentem. Quod optimum & fortissimum aedificium eius, nedum perditum sit & cassum, sed noxium, ipsique contrarium. Quomodo enim hostes eius aduersus eum belligerarentur, Deus tam pusillum, desperatumque animu homini subministrabat, ut non solum aedificium suum, uerum & amplissimus terrarum orbis nimis angustus fuerit. Et sic ubi trabs aut columna in domo fragorem aderet, totas hostium copias irruere cogitaret.

Talibus strategematis bellum potest gerere Deus. Quod primum cor & animum tollat, uti de eo Psal. 75. predicat. Terribilis est inter reges terra, adimens  
animum

animum principū. Animo uero & corde sublatis, uirtus uirilitas et fortitudo item abiit, uir in foeminā permutatus est, omni spe destitutus, neq; quicquā amplius ualet homo, quā ut aequē se cedere sinat, atque truncum. Quod si talis omnis muros omnia ualla, cū uerso bellicorum armorū genere, pro se haberet, nec uel sic tamen prodesset. Audito nanque trabium fragore terretur, ac ningerē bombardarum globos in domū suam cogitat. Idem uult hoc loci Habacuc dicere. putat. Quod adeo euiratus futurus sit rex, ut suo, quo mitatur edificio, terreatur & adfligatur, ubi lapis muri dū taxat clamauerit, hoc est fragorem adiderit, ac laquearia responderint, hoc est lapides & laquearia, uicissim, uel unā fragorem adiderint. Quae omnia uel ipsa experientia comprobant. Sicubi timidus animoq; exiguus in domo solus fuerit, ut ille terretur, si lignū quoddam in maceria sonuerit, ac interdum uidetur ei, audire se ac uidere, quae tamen minime uidet uel audit.

Num uero id mirabile Dei iudiciū est, qd' tā cuncta in rege tāto sese inuertant? Ut is qui toti antea mundo horrore erat, nemineq; nō coegerat, sua praesente horra sic animo excidat, ut nō solū, in terra nō tutus sit, ceterū, ut & suo ipsius edificio, adeoq; fragore contignationis, terreatur. Id uere est, quod dicitur, arida uescica & tribus pisis in fugam uerti. Vbi nunc aereus nidus? Quo tibi nunc ingentes opes, quas ex omnibus torssisti terris, ut firmā extrueres arcem? Arbitror iā nunc multatam

ANNOTATIONES.

tatam auaritiam, ut tantæmunitiones sese inuertant,  
 ac solo fragore id ferè efficiant, quod hostes armis. Sic  
 res cedere debent ei, qui auaritiæ, & ædificationi intē  
 tus est, neglecto interim Deo, ut eiusmodi ædificiū nula  
 la felicitas maneat neq; salus, enim uero, ut hic subdit,  
 infelicitas, aduersitas, ingēs itē ignominia, tam ipsum  
 ædificatorem, quàm ædificiū. Hoc est fortem esse uelle,  
 sed non in Domino. Ita uero tum principibus, tum do  
 minis faciundum erat, si munitiões quas cunq; etiã ex  
 ædificare uellent, ut uere bonū fundamentum iacerēt,  
 hoc est, ut primū, pro uirili, corde & animo precarē  
 tur Deum, quo necessitatis tempore ædificiū conserua  
 ret. Sic arx super uero fundamento, cōsisteret fortius.  
 Quom uero nulla geratur animi cura, sed ligna modo  
 & lapides erigantur, sua tandē hora sic fieri oportet,  
 ut textus indicat, ut contignationis, lapidumq; fragore  
 pauescant. Ego uero nos idem expertos esse arbitror,  
 in munitissimis arcibus à colonis in seditione dirutis.

Væ illi qui ciuitatem sanguine ædificat,  
 & urbem iniquitate apparat.

Tertia derisoria ode, de uenusto ædificio est, quo to  
 ta ciuitas exornabatur ac decorabatur. Nactus enim  
 pecuniarum & rerum abundantiam, primū domum  
 suam id est arcem ædificabat, munitam & pretiosam,  
 ut supra audiuimus. Deinde ciuitatem quoque uarijs  
 elegantibus ædificijs, de qua re multa passim tradita  
 sunt

sunt ab historicis, quomodo rex Babyloni edificarit. Inter omnia id summi loco miraculi ducitur, quod Euphratem grandem illum fluium per urbem uexerit, quanquam id Græci Semiramidi reginæ tribuât, cuius parum solidam tamen rationem habent. Author est enim Daniel, quod gloriabatur rex, instructam à se Babylonem, De extructis uero reginæ, deliciarum hortis in alto supra tectorum fornices Iosephus scribit. Solent enim inutilia multa edificare reges, quibus nimium auri & argenti est. ut in Aegyptiorum turribus & sepulchris apparet. Eiusmodi pulchra, magnifica, pretiosa que edificia, in ignominiam & dedecus (inquit Habacuc) uertentur. Quam ob causam? Quod hæc omnia miserorum sudore & sanguine, iniqua facultate per exactionem & interemptionem parata, extruat. Nam ut recepimus, tam augustum imperium, multa sanguinis effusione & iniquitate, citra necessitatem assequi illum oportuit. Quare hoc ciuitatem per uel cum sanguine, edificare Habacuc uocat. Pecunia enim effuso sanguine parata est, ac iniuria, qua homines adfecit. Ac eadem ferè uerba loquitur Micha propheta in regem Iuda, dum ait cap. 3. Sanguine edificatis Zion, & Ierusalem cum iniquitate, ut adpareat communè hunc prophetis, in tyrannos sermonem fuisse,

Nonne a domino exercituum hoc fiet. Quod populus labore suo tibi peperi

ANNOTATIONES.

perit, ignis faciet copiam, Et in quo ho-  
mines defatigati sunt, id uacuum lo-  
corum satis præbebit.

Vbi enim tam immanes, & ferè humanas uires ex-  
cedentes, eriguntur structurae, illic non paucos esse ne-  
cesse est, qui operi incumbant, ac labori. Duplex est au-  
tem labor. Alter eorum, qui pendunt exactiorem, qua  
ædificetur. Alter eorum, qui illic suo corpore, frustra  
etiam, herilia obsequia præstant, ac laborant. Vterque  
difficilis est hominibus utroq; etiam defatigatur. Adeo  
labore hominũ ad suas uoluptates abutuntur Tyranni.  
Sed agedum, constanter ædifica & eleganter adorna.  
compelle homines, & fætiga. Veniet olim hora, qua  
de te canemus & dicemus. Ecce pulchrum & præcla-  
rum ædificium, in hoc tantummodo apparatus est, ut  
ignis inde maiora fomenta habeat. & quo homines de-  
fatigari oportuit, ideo solum erectum est, ut uacuum  
& uastus illius rei locus tanto fiat amplior. Sic enim in  
Hebræo sonat, *Quæ populi laborauerunt in abun-*  
*dantia ignis erunt. Et in quo lassati sunt, in abundan-*  
*tia inantatis erit.* Nam ita etiam dici solet, si ridicule,  
aliquis ardui operis mentio fiat. Quod frustra institu-  
tum sit, nec eo peruenire, quo decretum erat. Vt Papa  
tus ad nihil aliud tantas congeffit diuitias, quam ut eo  
plures auferantur ei, & ad tantum ideo fastigij, con-  
scendat, ut eo profundius cadat. Sic illud posset, qui ar-  
H *ccm suam*

cem suam multis propugnaculis & sepibus muniret. ac ne quicquam tamen littora bubus aret. Bene est, si ne, aedificet, pulchra inde fomenta ignis fient. Stultus, Quo magis aedificat, hoc maiorem alijs comburendi materiam exhibebit.

Eadem ratione regium aedificium hic ridet, Ac si dicat. O quam praeclara aedificas, at quam splendidus ignis fiet id in quo tot nunc homines laborant? Et, Quot pulchra, uacua que tantum loca illic relinquentur, ubi tot nunc laborando defatigantur? Et inuertet se consilium tuum, nec fies uoti tui compos. Tu uis ut ad honorem & ornamentum deueniat structura illa, & ad turpitudinem & deformitatem cedit, ut desolata cremata que loca reperiantur illic, ubi nunc paradysos longe pulcherrimas aedificas. Id uero a subditis fieri non debet, ne seditio cooriat, sed a Domino exercituum, is optime inueniet, qui uoluntatem suam exequantur, nempe Persas & Medos. Ac profecto egregium omnino iudicium est. Multos ipse contriuit mortales, illorum facultate imminuta & uitiata, ut aedificium suum augustum, perfectum & forte esset, ergo rursus ipse imminui ac debilitari debet, ut aedificium eius in cinere in deuastatis igni locis iaceat. Et quom iniuria & sanguine aedificauerit, ipse non lympham abluet, sed igni exuret, ut neque sanguis, neque iniusticia ibi porro sentiat. Quam id uero creditu difficile fuit, quod dicebatur tantum, nec coram apparebat, eius

bat, eiusmodi potentem structurã igni desolari necesse  
esse. Quare oportuit hic spiritũ esse, qui hæc doceret,  
& ad credendum ijs, hortaretur Iudeos. Nam Babylo  
nijs, si hæc audissent, ludibrio fuisset, præcipue quom  
eiusmodi pœna à domino exercitiũ .i. à Iudeorũ Deo,  
que spernebant, illi, uentura erat. quippe cuius popu-  
lum destrueret. Quemadmodũ Iudeis & Romanis lu-  
dibriũ erat, se à crucifixo Deo, Christo, destructũ iri,  
cuius tamẽ in dies trucidabant sanctos. Hodicq; domi-  
nis nostris risus est, illũ Deum aliquid posse facere, cu-  
ius uerbũ prædicamus, quom quotidie persequatur.

**Replebitur enim terra cognitione  
gloriæ Domini, ut aquã mare cõtegit.**

Hanc sententiã è Mose, Prophetæ desumpserunt,  
qui Exo. 9. de Pharaone sic ait. Propterea excitauit te,  
ut ostendam fortitudinẽ meam in te, ut annuncietur no-  
men meũ in uniuersa terra. Hoc est. Tu me ueluti inuti-  
lem miseri populi Deum, qui non late cantatus sit con-  
temnis. Atqui & ego tibi quicquam ostendam, ne con-  
temner adeo & uilis reputer, sed enim oēs gentes ca-  
nent ac loquentur de uiribus meis. Item Num 14. Viuo  
ego. Ois terra gloria mea replebitur. Id est, uos tentatis  
& dehonoratis me. Ego uero exhibebo me uobis, sicq;  
uos inuadã, ut mundus gloria mea repleatur. hoc est, ut  
canar, dicar, prædicar, honorer undiq; ubi audierint,  
quid fecerim uobis, quem adeo uos tentatis. Sic Iesaiã

H 2 de Regno



de Regno Christi loquitur cap. 11. Plena est terra cognitione Domini, quemadmodum mare aqua plenum est. Vniuersus mundus Euangelion de Christo abundanter audit, ac Deū ex eo cognoscit, qui loquendi modi familiares nobis faciendi sunt. Illud enim glorie plenū uocant, quando undiq; Deus cantatur, prædicatur, dicitur, Perinde ac si de Alexandro, uel Iulio Cesare diceretur. Vniuersus mundus illos præduros uiribus Heroes commendat, ac rerum eorum præclare gestarum præconia, undiq; gentium insonuere.

Hoc pacto regi Babylonis, Habacuc minatur, et tantum dicere in animo habet. Tu dominum exercituum Deum nostrum contemnis, quasi uix sit musca exanimis erga uestrum Belum. quom tanta opera tua Deo tuo tribuas, Deum nostrum talia in nobis ferre oportere ratus. At breui experieris, & à nostro floccipenso Deo magnifica & præclara in uos & Deum uestrum fieri posse. Nam ita tecum aget, ut uniuersus terrarum orbis, de eo canat & loquatur, te unā cum Deo tuo rideat, Deum uero nostrum, in sublime euehat & laudet undique gentium, quod tanta in te perfererit. Quod uel totum sic contigit. postquā enim Cores Persarum rex Babylonem deuastarat, aperte fitebatur ac missis in omneis regni sui fines literis, promulgari curabat, Quod Deus cœlorum, qui Hierosolymis demoraretur tantum sibi triumphum ac potestatem dedisset. Quare & pro gratiarum actione, templum Hierosolymis

ANNOTATIONES.

¶ *osolymitanum, suis pecunijs & expensis restaurari edicebat, ut Esra tradit. Atque hoc est, uti mare aquis repletum, sic terra plena erit gloria Domini exercituum hoc est, talis erit gloriatio, quæ non exiccari, cunctulis ue surripi queat, sed mari aquis referto, similis erit, quod nemo exiccare, aut fossa adimere potest, uel siphonibus. Eadem ratione gloria hæc de Deo atq; instantia, tam fortis erit apud omnes gentes, ut nemo silentio obfuscare, aut impedire queat. Quæ omnia, ut memoratum est, ideo dicuntur & nunciantur, ut laudari animentur, & in fide retineantur.*

**Væ tibi, qui proximo tuo infundis,  
& furorem tuū submiscas, & inebrias,  
ut uerenda eius uideantur.**

*Quarta hæc est derisoria Ode, de arrogantia & temeritate eius. Diuitiæ addunt animū, ut uulgatū uerbum est, Vbi Tyranni fortiter confederint, opibus, honore firmis, uoluptatib; deditis, & dibus abundauerint, neq; sic tamen animo exaturati sunt, Ceterū arrogantes ac temerarij sunt, ad oem, tum iniuriā, tum cupiditatem exercendam, qui nihil neq; perpeti, neq; audire possunt. Quod si res, pro animi sententia non suaserint, mirum dictu quam seuiant ac trucident. Legatur Daniel cap. 3. de rege hoc Nebucad Nezar, ut auream statuam crexit, coegitq; homines ut adorarent eandem. Præterea cap. 2. Vt in somnij sui, è sapienti-*

H 3 bus &

bus & diuinatoribus suis, interpretationem exegit, et qualisnam herbula fuerit experieris. Egregium sanè Tyrannum uidebis, qui uoluntatem suam, pro rege contuluerit. Ad hæc profundi intellectus ac prudentia hominū, qui noluit sapientū suorum uerbis à consilio suo deuehi, nec naso circumduci uoluit. At breuiter scire cupijt in somnij sui interpretationem à Coniectorebus suis, qui, tametsi pollicebantur, nec tamen conijcere in somnij mentem poterant. nimirū technas, eorum artem, esse suspicabatur.

Hebraicæ loquendi rationis iterum nobis paranda est familiaritas, quæ calamistrata orationis ac parabolarum diues est. In primo capite supra audiuius, ut Nebucad Nezar ingens bibulus culpatus sit, qui omnibus terras ebibat. Quo loco potare tantum significat, quantum alijs suar rapere, spoliare, ad sese trahere, ut & Christus de Phariseis Matthæi. 23. ait. Quod uiduarum ades deuorent, sed & in Hiob idem uerborum usus est. Hoc uero loci, huius quæ similibus bibere aut potare idem significat, quod aduersa pati, Et infundere, aut propinare, tantum, quantum punire, torquere, adfligere, ac nullis non plagis adficere. Hinc psalterij commune uerbum profluit. Calix Domini, Item calix corui, plenus sulphure. Sic Apocalypsis. 18. de purpureo scorto relictum est scriptum. infundite ubertim ei, sicut & uobis infudit, & ut uobis mensa est, sic illi remetimini. Tum ergo calix Domini, po-

ANNOTATIONES.

na uocatur, quam cuique infundit & partitur. De  
 qua re Ieremi. 25. uide, ubi omnes in uniuersum  
 mortales è calice Domini bibere  
 iubet, ut inebriantur, uomant,  
 & cadant. &c.

Atq; ut clare penitus capiamus, paradigma consy-  
 deremus. Si quisquam à uino dulciter inebriatur, is du-  
 plicis alterius ebrietatis exemplar & imago est. Alte-  
 ra est, si præ ingentibus quisquã delitijs repleatur. Al-  
 tera ubi quis magno præ dolore inebriatur. Qualem  
 ergo, corporea se gerit ebrietas, tales & hæ gemine  
 sese gerunt. Temulentus gressu nutat, decedit, euomit,  
 insana ac stulta loquitur, impudens &c. ut in dies co-  
 gnoscimus. Hoc pacto, si cui nimia adsit prosperitas,  
 ut facultate, honore, uoluptate, potentia exuberet, ille  
 uere temulentus est, ignorat enim, quid præ animi sui li-  
 bidine, ordiatur. Gressu inconstans est, turpiter cadit,  
 nugatur, impudenter agit. hoc est, & si turpia ac ne-  
 fanda perpetret, quæ illum non adeo formosum red-  
 dunt, sed potius deturpent, nihil tamen reputat, nullus  
 illic timor, nulla uerecundia, aut moderatio, à priori  
 & posteriori partibus detectus est, id est, undiq; sce-  
 lus & ignominia eius uidetur. attamen perfringit nihil  
 curans, ut & nunc in nostris Tyrannis aperte uide-  
 mus. Sic Babylonius rex itidem ebrius erat, à mera la-  
 sciua & uoluptate, ut in superioribus narratum est.  
 Magna hic prudentia præditus est, qui temulento adeo

H 4 cedere

cedere potest, iuxta commune uerbum. Temulento, uel fœni plaustrum è uia cedere debet, cum fatuis enim nihil agendum est.

Rursum, qui præ dolore ebrius est, is item ebrius se in morè gerit, cundo girum facit, secum errat, clamat, ac talem se præbet, ut nihil præterquã dedecus in eo uideatur. Quidã & in Deum & homines blasphemii sunt, per impacientiam procedentes, Quicquid est opertum, recludunt, penes quos simpliciter stulticiã, irrationabilitasq; est, uii ebrium decet. In hunc modum de rege Babylonio Habacuc loquitur, quod pleurosq; temcto ingurgitauerit, ubi ipse antea uoluptate plenus ac ebrius erat. Id est, audax, temerarius Tyrannus erat. qui multos conturbabat populos, præcipue uero, omni dempta miseratione, Iudaicũ populum premebat, ut Iesaiã. 47. in Babylonem ait. Quom excandescerem in populum meum, sordidabam hereditatẽ, tradens eam in manum tuam. Tu uero nulla in eum misericordia tangebaris. Dein & Zachariã. i. Suae in se gentibus magnis, parum enim indignabar, ipsi uero ad mala iuuant. Ego populum meum castigare duntaxat cogitabam, ipse uero funditus è medio tollere molitur. ac maiora, quàm mihi ferendum sit, designant.

Atqui iudicia Dei eundem pariter cursum tenent, ut qui priore modo ebrius fuerit, posteriore item totũ perfundi necessarium sit, ut hic Propheta inquit, Regem omnũ gentium bonis inebriatum, multosq; alios

merore

ANNOTATIONES.

moerore ebrios reddidisse. Quapropter & ipsum rursus deridendum, & in omnibus passim terris cantandum & euulgandum, quomodo & ipse temulentus sit quemadmodum & Esaie. 14. de eo praedicatur. Et tu aequae ac nos trucidatus es (inquiunt gentes). id est, tu contriuisi nos, Et ter rursus egregie contritum arbitror, saltem talia expectare possemus. Arduum nimis & creditu difficile est, ubi tyranni adhuc in throno sedent.

Id ergo est, Quod Habacuc hic dixit. Proximo tuo bene infudisti, ac ipsum inebriasti. Et quo nemo quisquam dubitet, de altera, nempe, moeroris ebrietate loqui Prophetam, seipsum explanat dum inquit. Et furore tuo potum diluis. Quo satis aperte demonstratur, gentibus eum calicem irae suae propinasse, hoc est, temeraria tyrannide summe conturbasse, ac ita dehonesta se, ut uerenda earum conspiciantur, hoc est, omnia eas honore spoliauit, ut pauperes & adflucti fierent, de quibus nihil praecleari dici poterat: Quo simul ad historiam Genesis Propheta respicit. Vbi Noah temulentus, sic nudatus iacebat, ut uerenda eius conspicerentur. Quod non aliud significat, quam ignominiosam crucem seu adfluctionem & aduersitatem. Potiri enim rerum, res & honorem adipisci, magnificum coram mundo est. Substerni uero hosti, inopiae & ignominiae obnoxium fieri, detestabile est. Quare hoc, uerenda nuda uidere, est, quando quis uincitur, perditur, ad inopiam cogitur, quemad-

H 5 modum

modum & hic tyrannus Nebucadnezar plerasq; gen-  
tes dehonestarat, triumpho & gloria sibi referuatis.

**Tuque pro gloria, ignominia satu-  
raberis**

Id est, rursum tibi poculum diluetur, & ebrius red-  
deris, ut tua similiter uerenda oculis omnium pateant.  
Nam & tu uinceris, ut tua potentia ad nihilum, & de-  
decus redigatur, tum & tu dedecore & ignominia sa-  
turaberis, honoris loco. Hoc est, loco magnificentie et  
glorie quibus nunc eximus es, meram habiturus esi-  
gnominiam, ac nihil plane honoris, idq; totum, non si-  
ne ingenti tripudio, de te canetur, sic tamen ut ridearis  
tu ludibrioq; habearis, id enim tibi nemo inuidet, quip-  
pe, qui sis optime meritis.

Tu ergo nunc etiam bibe, ut gressu nutes. Ea scili-  
cet ebriorum conditio est, ut gressu uacillent, neq; fige-  
re pedem queant, & fortiter consistere. Sic qui moe-  
rore & tristitia perfusi sunt, ignorant, ubi manendum  
sit, uastusq; illos uniuersi orbis ambitus non potest ca-  
pere (adeo in arctum tum constrictus est) totus tam  
consilij quam auxiliij expertes, Huiusmodi Regi quo-  
que imprecatur, & nunciat, nempe uenturos esse Per-  
sas & Medos, qui illi ad afflictionem cordis, & nihil non  
mali infusuri sint, ut bibat et gradu uacillet, ut nusquam  
consistere possit. Atque in hunc modum Psal 60. lo-  
quitur. Ostendis populo tuo dura, potas nos uino uac-  
illantibus.

ANNOTATIONES.

uillante, id est, uino, quod nos uacillantes reddat, & ita  
 adstigit, ut ignoremus, quo nobis uertendum. Et Esa.  
 51. Ecce sustuli de manu tua uinum compunctionis, et  
 calicem indignationis meae. Et eodem loci. Surge Hie  
 rusalem, quae bibisti de calice irae Domini, usque ad fun  
 damentum, calicem compunctionis ebibisti usque ad fae  
 ces. Ex his & hoc genus similibus locis, citra pulue  
 rem & sudorem obseruari potest, quid huiusmodi uer  
 bis uelint Prophetae, quando de calice, potu, uacillatio  
 ne & compunctione loquuntur, qualis eorum loquen  
 di mos fuit.

**Calix enim in dextra Domini circum  
 dabit te.**

Id est, non poteris arceere nec effugere calicem, siue  
 malum, Dominus namque pincerna tuus factus est, is tibi  
 miscet calicem, quem et bibere coges, neque te hic  
 quicquam iuuabit. Quis repugnare Deo potest? Si  
 humanum consilium foret, ita potandi te, auxilium &  
 consilium reperire posses. Iam uero, ubi Dominus ipse  
 tibi huiusmodi adlegat, ferendum tibi est & ebiben  
 dum poculum.

**Circum undique enim te calix am  
 blet, ut ab eo te nusquam seruare possis.**

Quae ex praedictis clara sunt.

**Ac turpiter, pro gloria tua euomes.**

Ut iniuria & uiolentia tua, terras & gentes exhau  
 sisti, & ebrius saeuisti, sic turpiter rursus euomes, et  
 rapinam



rapinam reddes. In eundem modum Hiob, impios per uomitum reddere oportuisse, quicquid illis dū raperent dulce gustu erat, asserit. Verū nanque est, Vinum bibere dulce gratumq; esse. At uero rursus euomere, durum & amarum est. Sic rapina & omnis generis peccata opere quidem dulcia sunt, at animaduersione penitus acerba. Vult ergo Habacuc dicere. Quod necdum euomere rursus cogatur rex, quicquid depraedatus sit, ceterum quod & ignominiam iuxta ferre necessarium ei sit, ut ita turpis sit uomitus, in quo totum illum derideat ac ludibrium habeat loco mundus, ut adeo uniuersum amittere rursus adigatur, idq; pro gloria sua. Id est. Quanta est magnificentia tua dum te ingurgitas & praedaris. tantum dedecus tuum erit, ubi rursus euomes & perdes.

**Temeritas enim in Libano perpetrata te superirruet. Et deuastrata animā tua terrebunt te.**

Id est, ut in superioribus auditum, neq; cor neq; animum habebit, sed desperatus, agnosceat non humanam esse iram, ceterum calicem Domini. Sua enim sibi conscientia repugnabit & puniet ob temeritatem in Libano perpetrata. Tunc mons Libanus Babylonē uq; perueniet, etiā si duplo remotiore adhuc distaret iteruallo. Immo in conclaue adeoq; cor eius penetrabit & conscientiam eius urgebit & effoeminatam reddet, unā cū uniuersis

ANNOTATIONES.

in universis, que illic interemit, animantibus. Qui hoc  
 fit? Conscientia huiusmodi sentit, cui non secus videtur  
 quam si Libanus cum omnibus feris suis, quas antea de-  
 vastavit, devoraturi eam adsint. Sunt qui per Libanon  
 Ierusalē intelligāt. Ego uero in hoc sum, ut totā terrā  
 à monte Libano sic adpellari sentiam, sicut & Psalm.  
 43 à monte Hermonim & à flumine Iordane eandem  
 adpellat. quom ait. Recordor tui in terra Iordanis, &  
 montis Hermonim. Libanus eadem cum Hermon mon-  
 tana occupat, ut hæc sit sententia, in terra Libanica, id  
 est Iudæa, multū temeritatis patrasti, ac feras eius de-  
 vastasti, id est homines adeoq; inhabitatores. Quapro-  
 pter et te & cōscientiā tuā huiusmōi temeritas urgebit  
 & pauefaciet, ut pleraq; tu quoq; similia ferre cogaris

Propter sanguinem hominū ac teme-  
 ritatē in terra, urbe, incolisq; patrata.

Hic textus in superioribus explanatus est, potiore  
 nanq; loco id peccati accersit Propheta, quo nedum in  
 Libano, totamq; terram, sed maxime, qua deliquit in  
 terram Iuda & urbem Hierosolymam.

Quid tum proderit idolū, quod finxit  
 magister suus? & mendax fustum simul-  
 lachrum, quo artifex eius fidit, ut ado-  
 ret idola muta?

Quinta derisoria Ode, est de eius religione atq; di-  
 uino cultu

uino cultu. Ibi uero aculeatis uerbis uehementer ludit regem Propheta. Sunt enim omnes acerbæ ironiæ, cū ait, regem esse simulachris imaginibusq; deum fecisse, eumq; talis idoli & Dei authorem, suiq; ipsius operis adoratorem esse. Ecquis maiorem hac stultitiam designaret? ἐξ νόμων cum hac religione siue diuina cultura, cuius Deus idolum simulachrumq; sit, & cultor aut minister author & factor eius Dei sui, quem adorat. Præterea dum falsum esse simulachrum prædicat, id est, imposturam atq; mendacium, quibus seducantur mortales, ut inseruire sese deo credant, confidentes eiusmodi mendacijs & fallacijs, ceu synceræ ueritati. Ad hæc q; muta idola adoret, quæ loqui nō possunt, tātum abest, ut aliquid operentur aut faciant. Quare cum fiducia nunc ridet illum, inquiens.

Eia quam egregie te Deus tuus iuuabit, ubi te calix DOMINI circūdederit. Quid enim auxiliij tulerit, idolum tamen & simulachrum est. Atqui sine, opem tibi ferat, ipsius implora numen. Videamus, quomodo sese, ut opituletur, instituat. DEVS uero noster, & si aliquanto nos temporis puniat, rursus tamen eripiet. Deus uero tuus in æterna secula, nihil te unquam iuuabit. Equidem arbitror, quod hoc textu præ reliquis simulachris & imaginibus, præcipuū Babyloniorū accipiat idolum, cui nomē Bel (Iesaja enim hæc duo Bel & Nebo potissimū adducit) cui & ingentem auream statuam erexit, de qua Daniel c. 3. tradit, quod sexaginta passuum altitudine

ANNOTATIONES

altitudine, totidem latitudine complecteretur. Immensa  
auri, inutilis tamen, hominibus illis, copia superfuit. In  
causa erat, quod Assyriorum Imperium tam amplum  
& opulentum erat, omnibus omnium terrarum facul-  
tatibus ad sese raptis.

**Væ illi, qui ligno dicit, Euigila, Et la-  
pidi muto, Surge.**

Ludibrium est hoc, quod tum canetur & iactabi-  
tur, deuastatio is tempore. Agedum, lignū tuū & lapi-  
dem nūc inuoca, quæ tu in Deos transformasti, & pro-  
dijs coluisti. Quam fœde & turpiter nunc te deserunt  
Vides nunc, opinor, lapides & ligna fuisse. Nam & si  
ea inuocaueris, dicens. Auxiliare mihi Deus meus, Eu-  
gila Bel meus. Exurge Nebo meus et eripe me, nihil au-  
dit, est enim lignum et lapis auro obductus.

**Ipsū ne doceret?**

Hoc est, quo pacto bene tibi consuleret idolum? Est  
mutus tamen lapis. Nam ueri Dei officium est, populū  
suum, per uerbum suum, erudire, bonisq; consilijs in-  
struere.

**Ecce auro et argento obductum est, ne  
& quisquam in eo anhelitus est.**

Miserū & infelicem deum, qui auro sese & argen-  
to cōprehendi et capi sinit, cui neq; spiritus nec uita in-  
si. In huiusmodi ironia & subsannatiōe pro Iudeorū  
consolatione

consolatione Propheta commoratur, ut certi sint redēptionis suæ, uti recitatum est, ut ne qua uia ad incredulitatem recidant, ne uel tum operibus Dei tum uerbis offendatur. Ad quæ illis tum grandis occasio erat, quomodo Babylon adeo potens erat firmaq; cōsideret, ipsi interim uero dereliquerentur deuastarenturq;.

**Enimvero Dominus in templo sancto suo est. A facie eius nemo non sileat.**

Non in argentum aut aurum fabrili opera impatiusest, Ast in templo suo est, id est, pallatio & regia aula, quæ cœlum est, & ubicunq; per uerbum suum commoratur. Adhuc tamen potentia tanta & maiestate fulget, ut præ eo sibi uniuersus mundus timeat, & conticescat, ut pro sua ille uoluntate cum eo agat. Id est, Omnipotens est, adeoq; uastum gubernat orbem. Atque is sanè, DEVS mihi uerus esse potest. Nam tametsi gentes & Heretici iniuria & sectis, aduersus illum contabescant & seuiant, ad tempus usq; desinit permittit. At repente illis ostendere potest, quo omnes intercant, & in nihilum demigrent, & coram aduentu eius sileant. Vox enim ea, (præ eo, aut ante faciem eius) tantum in Hebræo sonat, ut quando aduenit, aut faciem ad nos adueniens iam uertit, uti Malachie tertio de Iohanne scriptum est. Ecce mitto angelum meum ante faciem tuā, i. ante aduentum tuum, aut quando ueneris

ueneris, ut id uelit Habacuc, Vbi uero Deus noster  
aduenerit & uisitauerit, tum in uniuerso mundo alta  
erunt silentia. Tum nemo non sibi fugam quaeret,  
Tum cessabunt, arrogantia, iactantia, superbia: Nam  
in impios animaduertit, pijs auxilio est, quo compla-  
nat & tranquillat omnia, quocumque tandem perue-  
nerit. Id uero nemo Deorum alius prestare potest.

Promde haec de Habacuc uaticinio sufficiant. Vi-  
detis ergo, quot, quantisque sit opus uerbis, ut fides in  
hominibus conseruetur, maxime, ubi infirmi fuerint,  
Tentatio uero adeo dura & fortis, qualis haec in po-  
pulo Iuda. Ut reprehendit? ut obsecrauit? ut luctatus  
est, uaticinatus, admonuit, & consolatus est? E diuer-  
so Babylonem ut increpuit, lusit, minis, iudicio & ira  
Dei terruit. Neque sic tamen multum profuit. Nam,  
non omnium fides est. Precationem nunc addit, in  
cantilena morem compositam, ut magis consoletur  
& animet in fide pusillanimes, non pauca sane pri-  
scorum Dei miraculorum repetens & colligens, qui-  
bus olim populo exhibitis, illum ipsum liberauit, ut e-  
orum non sint immemores, nec ullo pacto diffidant,  
se à Deo suo, qui toties eos tam potenter redemerat,  
nunc quoque à Babylone certissime liberandos. Miro-  
nanque modo cor & fidem confortat & erigit, prio-  
rum miraculorum repetita memoria, id quod toties in  
Psalmis Propheta fatebitur. Recordatus sum, inquit, in-  
dicatorum tuorum, & consolationem nactus sum. Et

I Mirabilem

Cap. III M. LVTHERI IN HABACVC

Mirabilium tuorum ab antiquis seculis reminiscor.  
Eadem ratione pia Iudith ciues suos consolabatur, &  
Mathathia filios suos Maccabaeos, Recordamini, ut pa-  
tres nostri redempti sint &c. Quam cantilenam, sub-  
inde tractabimus. Cuius epigrapha est.

CAPVT QVARTVM,

PRECATIO HABACVC PRO-  
phetae, Pro insontibus.

**E**Adem Epigrapha Dauid Psalmo septimo uitur,  
ubi innocentiam suam Deo exponit. In Ebreo se-  
re ignorantiam, uel ignorantias, sonat. Si latine fas es-  
set dicere, Inconscientia, rectius Ebraea uocule uis ex-  
primeretur, cum rei alicuius quisquam non fuerit con-  
scijs, aut nullam de ea gesserit scientiam, ut Dauid non  
erat conscius eorum scelerum, quibus à Simej notaba-  
tur, nempe, quòd Saulis regnum uisibi usurpasset.  
Indicat enim in eo Psalmo Dauid, ea de re nihil si-  
bi conscium esse, & (schiggaion) ignorantiam ad-  
pellat, quod reddere cogimur per innocentiam, quom-  
non sit nobis aptius uocabulum, quanq̄ nimis forte sit.  
Nam id multo humilior & Christianior sonat, ut ne de  
innocentia coram Deo quis gloriatur, sed de eo, quòd  
sibi nullius rei sit conscius. Potest enim fieri, ut nihil  
in conscientia

ANNOTATIONES

in conscientia quisquam sentiat, ac iuxta non insons ta-  
 men sit, ut Paulus .1. Corinth. 2. inquit, Nullius mihi rei  
 conscius sum, sed ideo non iustificatus sum. Deus autē  
 iudicabit me. Sicut & Abimelech non erat sibi consci-  
 us, quom Sarā sibi uendicaret, attamen factum eius  
 coram Deo iniustum iudicabatur Geneseos uigesimo.  
 Sic & pro pijs, qui simul cum impijs Babylonem de-  
 uehebantur, orationem & preces suas instituit Pro-  
 pheta, proculdubio enim inter eos pij fuerunt, qua-  
 les Daniel suis cum collegis, qui innocentes erant,  
 hoc est, nullius male rei sibi conscij erant, cum alijs  
 tamen eos abduci necesse erat. Deus enim, ut Pau-  
 lus inquit, illorum iudex est. Nam & Deus Ieremię  
 uigesimo quinto ipse fātetur, quōd calicem illum bi-  
 bere non demeruerint. Quare siue innocentiam, si-  
 ue ignorantiam, aut liberam conscientiam, aut qua  
 quisque uoluerit, nomine adpelletur, ubi sensus ad-  
 fuerit, uocis diuersitatem equo animo feremus. Vi-  
 deor mihi, Germanos nos sic optime loqui, Preca-  
 tio pro insonantibus.

VERSVS PRIMVS.

Domine, fama de te in auri-  
 bus meis increbuit, et timui.

I 2 Et lauda



Et laude, & gratiarum actione precationem as-  
 piciatur, id quod bonæ est precationis: plerâq; enim in-  
 gentia Dei miracula recenset, quæ patribus olim exhi-  
 buit, inquit: Multa de te prædicari audiui, patres e-  
 nim nostri annunciauerunt nobis, ac posteris tradide-  
 runt, quemadmodum Psal. 43. itidem facit, & ait. Do-  
 mine auribus nostris audiuiimus, Patres nostri retule-  
 runt nobis &c. Huiusmodi fama & prædicatio, ti-  
 morem inquit mihi, id est, præclara de te sentio, uere-  
 or te atq; formido, neq; impiorum te more adspernor,  
 qui ut planè nihil de te audiunt, sic nec de te quicquam  
 norunt, & ut per incredulitatem audiunt, sic rursus  
 missum faciunt.

Opus enim tuum in medio annor-  
 um uiuificas, & in medio annorum  
 nunciari finis, præsentè tristitia, mise-  
 ricordia remisceris.

Hoc est iudicium, quod facit, ut timearis, utq; de te  
 præclara sentiantur. De te narratur enim, ut & histo-  
 rie tradunt, te talem admirandum esse Deum, qui in  
 media necessitate succurrat, tu mergi finis, & rursus  
 erigis, tu cõfringi permittis, ubi edificas, occidis, dum  
 uitam largiris. Nec pro mundi facis consuetudine, qui  
 uel principijs mali uel obstat, uel in malo fixus heret.  
 At in medium nos incidere malum finis, & extrahis  
 tamen rursus. Christi regnum te daturum nobis pro-  
 mittis,

ANNOTATIONES.

mittis, & Babylonem in medium seruitutis ergastulie nos agi finis, nec tamen illic nos derelinquis. Eadem in cunctis tuis operibus facis, id tibi peculiare est, sic cantillatur, sic auditur et dicitur de te, ut adeo ueresis Deus, & timendus, & uenerandus cum summo, propter hæc opera, præconio.

Obscurus hic textus, id est, nimium Hebraeus est, unde & multi in hoc impegerunt. Opus uiuificare, nihil aliud est, quam in adfectione opem ferre: qui enim in tribulatione constitutus est, ille ferè mortuo similis est, atq; dum ei succursus est, perinde est ei, ac si reuixerit, ac recens iterato genitus sit. In medio annorum, idem est, quod suo tempore. Quod deus non, quàm primum tentatio cœperit, mox adueniat, quasi suum cuique tempori auspiciū sit. Neque perpetuò auxiliij sui aduentum tardat, quasi nullum ultra iuuandi tempus reliquum sit, cæterum in medio temporis aduenit. No uit quidem seruare modum, ne uel citius, uel tardius æquo, ferat opem. Si enim citius opitularetur, de uiribus nostris desperare non disceremus, præsumptuosi permanentes. Sin tardius, non disceremus credere, deq; eo desperaturi essemus, at quom hic medium teneat, & nos in medio conseruat. Atque Hebraice non ita in medio annorum sonat, quasi aliquid sit principium, & aliquid finis, sed intra uel inter annos, id est suo tempore, horam, qua succurrere debeat, attingit. Acque ac si dicam, Sol est inter stellas, non in medio, ex

equo, stellarum, sed inter alias immixtus stellas. Sic ad iutorij hora item in medio annorum est, id est, intra annos, uel in tempore, ut non omnes annos praterire sinat, ac in aeternum relinquat, donec non sint ulterius anni. Dicit autem, Intra annos, non intra dies, in causa est, quod ex corde eorum loquatur, qui in afflictione constituti sunt. Illis enim annus prolixus est, immo quodcunque illis temporis interuallum oblongum est. Vel ea de causa, quod annus sit, longissima temporis mensura, quom unius anni curriculo mundus tum innouetur, tum antiquetur, mutua aestatis & hyemis permutatone, perpetuaque annuere uolutione, ut per annos tempus accipiendum sit, ad hunc modum: Domine, tu intra annos auxiliaris, id est, in longo tempore, quom nobis prolixum uidetur, tum uenis in ea prolixitate. Quod uero de multitudine annorum loquitur, ideo facit. De multis enim Dei miraculis & operibus loquitur, quorum quodque in suo tempore & annis contigerunt, ut tot sint anni, quot opera, ipseque nunquam non sic officium administret suum, ut in annorum tribulatione ueniat, id est, in longitudine annorum.

Viuificare & cognobilem reddere, serè idem sunt, nisi quod uiuificare, est mira facere & auxiliari, in notescere, est auxilium experiri, ut inde gaudium oriatur. Et presente tribulatione, quod in Ebreo sonat, In turbatione, id est, in media afflictione, ubi  
finit

## ANNOTATIONES.

finis durissimus est, ubi summus tremor, & maxima desperatio est, tum inquit, misericordie reminisceris, ut succurras. Qui ergo ad eternam foelicitatem anhelat, ille te sic agnoscere cogetur. Pijs solamen est, impijs non ferendum onus.

### Deus ab Austro uenit, Et sanctus de monte Paran. Sela.

II

Prisca nunc miracula, ceu in tabulam aut pannum, depingere, ordine adgreditur. Primum est, quod populum ex Aegypto, per desertum, in terram Canaan duxit, quod ab Austro, ad terram Canaan usq; per tingit. Quom ergo cum populo Israel Deus inde perfringeret, recta ab Austro, ad Cananitas perueniebat, quos & percutiebat. At uero aequae in signe miraculum erat, quod Israel ex Aegypto, per tot gentes, tot uastas solitudines pertransire, tot terra sua populos eijcere ac propulsare deberent, atque fuit, quod e Babylone redimerentur. Attamen sic fiebat, suo tempore. Quod in scripturis Deus adpelletur Sanctus, cognitum esse ferè, etiamnum deberet. Nam ubicunque is fuerit, illic etiam sanctificat. Quid sit Sela, alibi satis explicatum est, praesertim Psal. 67.

### Laudis eius pleni erant caeli, Et gloriæ eius plena erat terra.

III

I 4 Hoc est,

Hoc est, huiusmodi opere efficiebat, ut undiq; terrarum, quæ sub cælo sunt, prædicaretur. Estq; hic iterum Hebræa obscuritas, quæ ita sonat, Laus eius cælum cõtegit, non superne, sed inferne. Nam Psalterium id quod obtegit cælum uocat, quom nubibus obducitur. Est igitur ea mens Habacuc. Adeo dense & fortiter laus Dei sub cælo undiq; intonabat, ut si nubes aut nebule fuissent, cælum cooperiissent, quod nos cælum inferiorem uersus partem, plenum dicimus. Et plane idem est, quod Moses ad Pharaonem ait Exodi. 9. Excitauite, ut uires meas in te ostendam, ut nomen meum annuncietur in uniuersa terra. Iam & is Hebræa linguosus est, ut sic de cælo loquatur, ut multos cælos faciat. Nam cuique terræ suum cælum tribuit, id est, eam partem, quam quæuis terra conspicit, adeoq; quod Mathematici Horizontem, ipsi cælum uocant. Vnde in dominica prece dicimus, Qui es in cœlis, hoc est, in omnibus omnium terrarum cœlis seu horizontibus. Sic laus Dei in cælis, qui supra eiusmodi regiones erant, sonabat. Et in quo cælo præconium eius erat, in eius cæliterra & gloria eius fulgebat.

III. Splendor eius ueluti lumen, fulgores a manibus eius progrediebantur, ibi clam uires eius latebant.

Inde manabat, quod cælum & terra laudis eius plena erant, Potentia enim eius, id est, regnum eius quidem

ANNOTATIONES.

quidem in populo Israel absconditum erat. Nemo enim uidebat eum. At dum huiusmodi miracula operaretur, opera illa ueluti lux erant, quae praesentiam eius indicabant, & ex eo egrediebantur, ceu fulgores à sole nubibus obtecto, ac ueluti radij à manibus eius, id est, à fortitudine eius, quam exhibebat. Nam tametsi sub nubibus sol caletur, attamen ex lumine eius obseruatur, ubinam sit. Sic splendores eiusmodi non à facie Domini procedebant, ipse quidem illic absconditus erat, ceterum à manibus eius, id est, ex operibus praesentia eius cognoscebatur. Eadem de re tum fama spargebatur, ac tanta uulgabantur, ut caelum & terra gloria eius replerentur. Tales splendores, Hebraea lingua cornua nominat. Exodi. 33. Mose cornua habebat, id est, splendores, in uultu suo.

Procedebat enim pestis,  
Et plaga a pedibus eius  
exibat.

Hic unus est splendorum, à manibus eius prodeuntium, quom caederet Aegyptum, ut una nocte, omnia penitus primogenita morerentur. Illud erat Passa & transitus Domini, eiusmodi uestigia, quocunque transisset, imprimebat, illic pestis à pedibus eius egrediebatur.

VI Stans metiebatur terram, respiciens  
discindebat gentes, ut montes sæculi  
dissiparentur, & colles mundi se flecte-  
rent, illo in mundo transeunte.

*Alius fulgor, ipso in mundo prope algosum mare  
deambulante, inter Israelem & Aegyptum consiste-  
bat, cmetiens terram, ut non ultra ualerent progredi  
Aegyptij, quàm ille ipsis definiisset. Ad hæc, matutina  
hora respiciebat eos adeoq; dissipabat, ut nedum acies  
illorum & bellicus ordo infringeretur, cæterum, ut  
& magni Principes, qui ut montes sunt in mundo, uno  
intuitu in mari submergerentur, contererenturq;. Co-  
gebatur itaq; flectere, geniculari, humiliare se coram  
illo, fastuosi colles, insignes heroes, colles mundi, quom-  
tam crudeliter inter illos in terra prodeambulet.*

VII Afflicta uidi tabernacula Aethio-  
pum, Cõturbata tentoria Mideian.

*Et ea pars laudum eius sub celo erat, quòd ab hu-  
iusmodi fulgoribus, adeo magnæ circumsite regiones  
timebant sibi, & obstupecebant. Quidam hic non  
Aethiopum tabernacula, uerum quom Chusan in He-  
breo sit, Regem Mesopotamie Chusan Rifeatham  
accipiendum esse contendunt., Iud. secundo. Quos ego  
missos*

ANNOTATIONES.

missos facio, Nec in hunc ordinem Mesopotamiae rex  
censeri potest. Et id non obscurum est, Chus & Chu-  
san eandem posse rem esse, in Hebraea lingua unico uel  
appposito, uel semoto elemento Nun. Ad haec Mose in  
hymno suo, Exo. 15. canit, ut finitimae regiones stupefa-  
ctae sint, ubi tanta opera & signa rescuerant. Atq; id  
est quod ait, uidebam, id est, illic quisquam uidere po-  
tuisset, ut Aethiopes propè algosum mare, Aegyptio-  
rum uicini timuissent sibi, & in aerumna, dolore & an-  
gustia fuissent. Et alij pariter eorum uicini, in altero  
maris latere, Midianitae, omnes à Deo Israël terreban-  
tur, qui sic cum Pharaone egerat.

Nonne in fluctibus irascebaris Do VIII.  
mine, et furor tuus in aquis erat, & ira  
tua in mari?

Quum infideres equis tuis, currus IX.  
tui salus.

Et adfirmatiue, & negatiue uersus hic intelligi po-  
test, sed Negatio mihi magis arridet, ut haec sit senten-  
tia. Postquam aliquot insignia recensuit miracula, hila-  
rem ad Deum excursus facit, quo dulciter & blandu-  
le cum eo cõuersatur, hunc in modum, Arbitror sanè,  
misericordè nõ iratum te fuisse, quom in fluctibus ma-  
ris aquarumq; eius, ab equis portarcris, & curribus  
tuis uehereris. i. ab equis & curribus Israël. Tu enim  
erās qui transducebas eos, ut nihil, præterquàm salus  
I 6 & uictoria



Et uictoria adesset. Illic neque furor, neque indignatio, profecto uestigari poterat, quibus populo tuo succensuisses. Cui uero adfirmatiuus intellectus magis placeat, sicut et redditus est, illi, furor et indignatio in Aegyptios uertenda sunt, quos, ut populū suum eriperet cecidit. Nemini uero dubium esse debet, filios Israēl, sine equis et curribus non fuisse, armati enim exibat, ut Mose Exo. 15. habet, instar exercitus, ad bella profecturi.

X. Excitabas arcum tuum, iuxta iuramentum tribubus praestitum. Sela.

Per arcum, uniuersa arma bellica, intelligit, ut Psalmo. 77. Filij Ephraim, quorum intererat gestare arcum. Praeterea Gene. 49. per patriarcham Iacob Deus arcum Ephraim firmum fore loquutus est et c. Idem ipsum hic, iuramentum praestare tribubus Habacuc uocat. Atque hic uersus, rursum fulgorem ostēdit quendam, penes quem Deus cognoscibilem se reddebat. Accipere potest esse clades, qua Iosua Amalechitas adflixit, Exod. 17. uel regem Harad Numeri. 31. uel reges Sihon et Og, uel qua illos omnes percussit. Nam dicturus est. Quomodo Deus arcum illorum excitauit, confortauitque, quod in bellis fortunati fuerint.

Partiebaris flumina in terram.

Alius

ANNOTATIONES.

Alius hic fulgor est, quom aquam ex rupe submini-  
strabat, ut in deserto, diuisim profluere, ut & homi-  
nes & iumenta bibere possent.

Videbant temontes, & conturbabā XI  
tur procella aquarum præteribat, abyf-  
sus uocē ædebat, altitudo leuabat ma-  
nus.

In unum hic fascem colligit fulgorum opera, quom  
flij Israel Iordanē pertransirent, ibi enim languebāt  
montes. i. herōes & proceres terræ Canaan, aut mon-  
tosa terra, unā cum suis incolis, ut Moses ait Exod. 15.  
Tum expauescebant principes Edom, Potentes Moab  
turbabantur, obstupescabant omnes habitatores Ca-  
naan. Eo temporis etiam Iordanis cedebat locum, &  
excicabatur Iosua, 3. Quin profunditas audiebatur &  
altitudo leuabat manus, id est quicquid profundum al-  
tūmue erat, mouebatur & ferebatur præ angustia, Ne-  
que profundæ aque, neq; excelsi mōtes, quicquam cui-  
quam auxiliari poterant.

Sol & luna fixi stabant in habitacu. XII  
lo suo.

Id est, contra naturam & morem suum fixi consti-  
stebant, non mouebantur, non complebant circulos su-  
os ut Iosua belligeranti auxiliarentur. Iosua. 10.

Sagittæ tuæ in choruſcatione euola-  
bant, & in fulgore fulguris hastæ tuæ.

Historians

Historiam repete ex Iosua. 10. quom ingenti tempe-  
state & grandine propè Asecam Deus gentes percute-  
ret, Siquidem scriptura, grandinem & fulgura, Dei tū  
sagittas tum hastas adpellat, ut P sal. 17. Missis sagittis  
conturbabat eos in monte Sinai. Insuper & sagittæ et  
hastæ dici possent, ut sonāt, ac bella simul intelligi, que  
Iosua aduersus ciuitates Maceda, Libna, Lachis, E-  
glon, Hebron, Dabir, gessit, Iosua. 10. Nam ille omnes  
tam facile, alia post aliam capiebantur, ut necessarium  
erat dicere, Israëlitarum sagittas & hastas, non Israē-  
litarum, sed Dei esse, quibus ipse tam efficaciter pun-  
geret & trajiceret uires omnium, adfirmat autem, qd  
fulgurent & choruscent, quod in uagina certe non fa-  
ciunt. Atque hæc mihi interpretatio magis placet.

XIII. Conterebas terram in ira,  
Triturabas gentes in furore.

Quod factum est, Iosua residios percuciente re-  
ges, circa flumen Merom. Iosua. 11.

XIII. Egrediebaris ut populo suppetias  
ferres, ut suppetias ferres unctis tuis.

Temporibus Samuelis, Sauli, Dauidis, id contigit,  
quom enim expeditionem facerent, adiuuabat eos De-  
us, ut primus & secundus Regum testantur.

Contundebas caput in domo impi-  
orum

orum, denudabas fundamenta, usq; ad  
collum. Sela.

Capita hæc & fundamenta, reges sunt finitima-  
rum terrarum, ut Edom, Ammon, Syrie, Philistin,  
quos Dauid à se uictos, iuris sui fecit. Id enim caput cõ-  
tundere est, id est regnum ita occupare, ut capite sub-  
diti careant, nec ultra, proprios habeant reges, sed Da-  
uidi subiugati sint. Idem plane est quòd fundamenta,  
id est eosdem Reges & Principes denudet, exautho-  
ret, deponat, à gubernatione reiciat, usq; ad collum,  
ut truncus & corpus iuxta tamen permaneat, & Da-  
uidi morigeretur, Rex enim, & caput & fundamen-  
tum sui regni est. Populus & terra, trunci & corpo-  
ra. Hactenus cum gratiarum actione depinxit & re-  
censuit, diuinarum manuum fulgores, ex quibus celi  
& terra gloria eius replebantur, pro consolatione po-  
puli. Nunc precationem suam aduersus regem Baby-  
lonie orditur.

Maledicas sceptris eius, cum capite XV.  
vicorum suorum, qui, ueluti tēpestas  
ut me dissipent. adueniūt, ac latantur,  
quasi deuorent in abscondito miserū.

Hoc est regno Babylonico, nolis esse ppitius, sed  
nullā gratiā exhibeas, tam illi, q̄ uniuersis uicis eius, id  
est urbi Babylon, quæ omniū totius regni illius ciuita-  
tum

tum caput est. Ac alij quidem Reges & gentes nos di-  
 uexarunt, sed in terra tamen reliquerunt Enimvero Ba-  
 bylonij, ut tempestas adueniunt, & nos è terra disper-  
 gunt. Nec in hoc saturati sunt sed rident nos, ac de no-  
 stro malo exultant, ceu clam egenum deuorent, hoc est,  
 ueluti desit iudex, nec sit qui ulciscatur. Id enim clam de-  
 uorare uocat, quom arbitratur Deum neq; uidere, ne-  
 que id pro iniusticia imputare, ut neque accusatio, nec  
 iudicium, ea propter sequutura sint,

XVI Equorum tuorum in mari iter est,  
 In luto magnarum aquarum.

Id est, Equitatus noster & exercitus, qui salute &  
 triumpho antea insignis erat, ea cum potentia incede-  
 bat ac ferebatur, quasi in aere uolaret, dum tu admini-  
 culareris nobis, iam uero quom deseris in caeno, & abys-  
 so haeret, id est, angustiae & adflictioni impactus est,  
 nec ultra quicquam ualet.

XVII Talia me audiente, uenter meus con-  
 turbatur. Labia mea pra clamore con-  
 tremiscunt.

Iam non edo aut bibo, ut uenter meus inde letetur,  
 ceterum ieiunijs me macero, & mcreo, neq; uero cae-  
 no, ut in couiuijs letis fieri solet, ubi editur, bibitur, ca-  
 tatur. Verum labia mea pro risu & cantilena tremunt,  
 dum tantam calamitatem audio.

Sanies intrat ossa mea.

ANNOTATIONES.

Hoc est medulla & ossa mea marcescunt. Hi enim omnes Hebraei sermonis tropi sunt, puta, Cor letū im-  
pinguat ossa, Triste uero aut inuidū cor sanie ossa re-  
plet. Quod tantum ualeat, animus letus, dimidij corpo-  
ris uice est, Animus moerens, uel ossa debilitat, quae om-  
nia experientia probat, ut sequitur.

In me enim conturbatus sum.

Hoc est, ut dixi, tristitia mea, in uentre, labijs & os-  
sibus, talia mihi parat.

Vtinam quiescere possem tempore  
tribulationis, Quando ascendemus ad  
populum debellantem nos.

Hoc est, mori me malim, ac in monumento cubare,  
quā istam audire erumnam, quod ex hac terra, in  
inimicorum nostrorū terram qui bello captos nos abe-  
ducent, demigrandum sit, malus enim rerum in terra  
nostra status erit, ut sequitur.

Ficus enim non florebit, nullum in XVIII.  
uite germē erit, labor oliuę deerit, agri  
nō proferent alimoniam, pecudes ē mā-  
dris rapiuntur, neq; ulli in stabulis bo-  
ues relinquentur.

Id est abducto populo, terra deserta est, neque ue-  
ra agri cultura, nec iumentorum educatio, sed omnia mi-  
serandam praebent faciem. Quemadmodū & Esaiā. 5.  
Nullū

uili precio terram comparandam prædixit, quom pau-  
ci adeo in ea demorarentur, id quod & Mose in Leui:  
prædixit, habituram sabbatum suum, terrā, ubi ex ea  
exacti fuerint.

XIX. Ego uero lætabor in Domino,  
Gaudebo in Deo salute mea.

Id est in omni eiusmodi tribulatione mea & angu-  
stia id me consolatur, quod Deus adhuc nobis auxilia-  
tur sit, necdū enim uisiones prophetarū finite sunt,  
Christus adhuc uenturus est, tum uero rursum exulta-  
bimus.

XX. Dominus dominus uirtus mea, qui  
pedes meos ueluti ceruorum ponet, su-  
perq; excelsa perducet me alte canen-  
tem in organis.

Versus ille e Psalterio desumptus est, Sic enim Da-  
uid ait Psal. 17. Dominus pedes meos ueluti ceruorum  
faciet, & in altum perducet me, Quæ omnia tantum  
ualent, Dominus adhuc mihi, & Deus & fortitudo est,  
ideo lætabimur & exultabimus, ac ueluti cerui salte-  
mus, tam enim leues pedes nostri fient, nec amplius in-  
cæno uadabimus, aut reptabimus, sed omnino præ gau-  
dio in aere feremur & uolabimus neque quicquam fi-  
ciemus, quàm quod leti canamus, ludamus, & nihil nō  
leticiarum agamus. Id fiet, ubi sceptrum Babylonicū  
maledictū & deuastatū, nos uero redempti fuerimus.

ANNOTATIONES

Christus cum suo regno aduenerit, AMEN

A B O H A A B  
HÆCEST PRECATIO ET ODE

Habacuc, in Iudeorum consolationem facta, sed abruptis omnino uerbis, quæ Germanis nobis insueta sunt. Ceterum, ad Hebræam nobis compositionem consuescendum est. Si enim nostra audituri essent carmina, æquæ dura & rara illis uiderentur, atq; ipsorum nobis. Spero autem propheta me adsequutum esse mentem, unde Laus & gratiarum actio Deo sit in æterna secula.

AMEN.

ARGENTORATI

Iohannes Knoblouch

excudebat. An

no. 1526.

Mense Augusto.



ANNO 1710

Α Ε Θ Η Λ Α Η


ΝΟΥ ΔΝΥ ΕΡΕΝ



Ἐργα δὲ πρὸς φῶς πῶς ἐκδηλοῦν ἔσονται

Verum, quum latebris delituit diu, emergit.







Th  
137